



1795.

18. Facke, Erdmannus: *Utricis Platonicis.*
19. Fleck, Ferdinandus Gottschl: *Hermeneutices tituli particularum: De aquirienda vel amittenda possessione Spec. I: De principiis possessionis, quae a iuriis fictiobus proficiuntur.*
20. Fleck, Ferdinandus Gottschl: *De exhibitione delinqvientium secundum principia iuriis publicis universalis, gentium, Romanorumque successione.*
21. Green, Aug. Frider. Sigismundus, pse: jas. proca. collarius: *De successione in bona mortalia Schriftsammi, vel alias exenti, secundum statuta domicilii, in quos iura ciuitatis aquisintur.*
22. Haenius, Joannes Guillot: *De rite instituendis novo comitiis civicis.*
23. Huebner, Christianus Gottschl: *Historiae regum Romanarum et sepulturas portimentinae adjunctae earum comparatione cum patriis institutis. Spec. II.*

1795.

24. Inghausen, Samuel Fridericus: De jure iurando culmen
niae secundum principia juris Romanis, Ger-
manici, Canonici et Iuris: Spec. I.
25. Loeber, Daniel Berhardus: De jurebus et obliga-
tibus contatoris
26. Mueller, Johannes Gottlieb: Super jure primariae
precum ejusque exercitio. Spec. III. Programma,
quod ad orationem auctoralem invitat.
27. Plathenus, Iacobus, aaro. 177. Lips. procurellarius:
An ridiculum est animi sedem inquirere. Pro-
gramma, quo paucifrynia medicam inducit.
28. Phoening, Antonius Henricus: Utrum inter
mercatores aduersant ordinis beneficium
nec ne?

valens
ges -

ca -

torum

uch,

s :

?

ee

Literatur und Medien
soziale entstehung
in Mutterlanden und
soziale sozialisation
sozialisation und
Familienbildung
sozialisation und
jungen jugendliche
in Mutterlanden und

1795, 26.

S V P E R
IVRE PRIMARIARVM PRECVM
EIVSQVE EXERCITIO
SPECIMEN TERTIVM

Q V O
A D
AVDIENDAM ORATIONEM
Q V A M
PROFESSIONEM IVRIS EXTRAORDINARIAM
A V S P I C A T V R V S
D. XIV. OCTOB RIS A. MDCCXCV.
H. L. Q. C.
R E C I T A B I T
I N V I T A T
D. IOHANNES GODOFREDVS MVELLER

L I P S I A E,
E X O F F I C I N A K L A V B A R T H I A.

SALPER

HISTORICUS ET HISTORICO

MAGNAE STREGIO

LIBER

C 79.

50

LIBERTATIS LIBERTA

LIBERTY

LIBERTY LIBERTY

LIBERTY LIBERTY LIBERTY

LIBERTY

LIBERTY

LIBERTY LIBERTY LIBERTY

LIBERTY

LIBERTY LIBERTY

LIBERTY

LIBERTY LIBERTY

Iuant nosse fontes, unde vberior argumenti, quod quis pro instituti
sui ratione vel integrum vel ex parte commentatur, cognitio hau-
riri queat. Cum igitur, antequam historiam iuris precum primaria-
rum eiusque exercitii referre coeparam, eam mihi met ipse legem di-
xisse, vt in Prooemiis singulorum Speciminum Commentarios pre-
cum primariarum, quorumcunque nescendorum aut acquirendorum
copia milki recens oblata foret, recenserem; eidem legi, quantum
quidem in me est, sub tertii quoque huius Speciminis initium ob-
ediam. Egerunt autem Commentatorum alii, vtpote NOLANVS ^{a)},
de Iure precum primariarum Vicariis Imperii aequae ac Imperatoribus
ipsis vindicando, et RVNDIVS ^{b)} de Iure precum primariarum Au-
gustae Imperatricis; alii iterum, quippe BROICHHAVSENIVS ^{c)}, EN-
DRESIVS

a) IVST. NOLANVS in *Responso iuris puncto precum primariarum Serenissimis DD. S. R. Imperit Vicariis competentium elucubrato*, Anno 1790. tempore Interregni Typis monacensis. 4.

b) D. IVST. FRID. RVNDE in *Commentat. de Augustae Imperatricis Iure primariarum precum. Sect. I. Gotting.* 1784. 4.
c) HENR. PET. BROICHHAVSEN in *Diff. de Iure precum primariarum. Pragae.* 1739.

A

DRESIVS^{d)}, HEDDERICHIVS^{e)}, LOMBERGIVS^{f)}, HARTMANNVS^{g)},
ANONYMVS quidam^{h)}, Nobilis DE STECKⁱ⁾, atque SCHMELZERV^{k)},
de indole et exercitio iuris precum primiarum caesarearum hodierno;

alii

d) NEPOM. ENDRES in Diff. de
insinuationis primiarum precum cae-
sarearum necessitate, respond. NE-
CKERMANNO, Wirceburg. 1778;
quae extat apud SCHMIDT Thesaur.
Iuris Ecclesiastici. Tom. VII. N. IX.
p. 299.

e) IO. PHILIPP. HEDDERICH
in Diff. de vero et genuino statu hodi-
erno precum primiarum caesarearum.
Bonnae. 1778; quae inserta quoque
est eiusdem HEDDERICHII Differ-
tiationibus iunctis. N. XIV.

f) IO. VITAL. LOMBERG in
Diff. de imperiali precum primiarum
iure ultra iustos limites non extendendo.
(Bonnae) 1778; quae tamen ob prin-
cipia vitiosa et noxia, quibus refuta
fuisse perhibetur, caesarea auctoritate
supressa est, prout videre licet ex
Concluso Consilii Aulici Imperialis
apud CHRISTOPH. SIGISM. HOLZ-
SCHVHERVM in Deductionis-Biblio-
thek von Teutschland nebst dazu gehö-
rigen Nachrichten. Tom. II. p. 962.
seq.

g) CASP. ANTON. HARTMANN
in Diff. de potestate collatoris ordinarii
ante insinuationem precum primaria-
rum restricta. Viennae. 1782; quam
ANDR. MAYER in suo Thesauro
Nouo Iuris Ecclesiastici porissimum Ger-
maniae Tom. II. p. 251. seqq. recu-

di curavit. Refutantur autem inpri-
mis argumenta ab ENDRESIO in
Dissertatione, cuius supra mentio in-
iecta est, in contrariam partem pro-
lata.

h) In Commentatione, quae in-
serbitur: Das Recht der Brodbriefe
und der ersten Bitten ist ein Reservat
des Kaisers, gegründet in einem alten
Reichsverkommen, beschaffen wie an-
dere aus des Kaisers Machtvollkommen-
heit berfließende Vorrechte, erwähnt
in dem Religions- und in dem Westphä-
lischen Frieden, antwendbar bey un-
und mitelbaren Stiftern, Klöstern und
allen übrigen geistlichen Stiftungen,
vereinbart mit dem heutigen Gebrauch
und mit den verschiedenen Meinungen
eines Brand, Schmide und Spittler.
(Regensburg) 1784. 4; quae vero est
viliissimi pretii.

i) In Commentatiuncula inscripta:
Cession du droit de premières prières,
quae facit Caput I. Opusculi Eiusdem
auctoris, quod prodit sub Titulo:
Eclaircissement de divers sujets interé-
sants pour l'homme d'état et de lettres,
A Ingolstadt. 1785. 8.

k) D. FRIED. AVG. SCHMEL-
ZER in Libro: Ueber die Wirkung
Kaiserlicher Ersten Bitten nach dem
Tode des Verleihers. Helmstaedt.
1792. 8.

alii denique, qui sunt IUNEMANNVS¹⁾ et ANONYMVS²⁾, de eiusdem iuris originibus et immunitate ab indulitu, quem vocant, papali. Quorum quidem omnium cum solus ANONYMVS, qui postremo loco commemoratus est, primis precum primariarum natalibus inuestigandis totus occupetur, ac variae de prisco earum fundamento sententiae in Specimine I. fusius a me expositae sint; meum utique erit, stamina demonstrationis, quam contexuit ANONYMVS, retexere et, quid equidem censeam, paucis explicare.

Incidi ergo ANONYMVS aliquando in Libellum, quo SCHMIDTIVS³⁾ auctor inter alia vocem germanicam Rauchhuhn, quae vulgo verti solet Gallina fumosa, intelligi potius voluerat Gallinam plumosam, suaequa interpretationis rationem redditurus scripsérat: *Und wer weiß nicht, wie gar unverständlich, besonders in den mittlern Zeiten, manche Uebersetzung gerathen sey, da z. B. das behandelte kaiserl. Recht der ersten Bethe, i. e. primi prouentus, in ein Ius primariarum precum — übersetzt, oder besser, verkehret geworden?* Vestigiis his excitatus in via, quam SCHMIDTIVS indigitasse videbatur, ANONYMVS ad fontem usque precum primariarum primeuum procedere tentauit coniecitque, ius precum primariarum, sive ex ipsius interpretatione, ius praefentandi personam ad Chorum Imperatoribus Germaniae a Clericis in remuneracionem immunitatis a seruitiis militaribus, quibus praedia ipsorum antea obnoxia fuissent, paciscendo concessum esse. Quae quidem coniectura ne irrita caderet, sed ut

A 2

potius

1) In Diff. Oligeni vapulans. VI ennae. 1782.

IV. N. VIII. p. 218. seqq. cum orbe Eruditorum communicata est.

2) In Commentatione: *Das Recht der ersten Bitte*, cuius pars prior in HAGEMANNI et GÜNTHERI Archiv für die theoretische und praktische Rechtsgesetzsamkeit Tom. III. N. VI. p. 200, seqq., posterior autem Tom.

3) IO. PETR. SCHMIDT in Geschichtsmäßiger Untersuchung der Fast-Abends-Gebräuche in Deutschland. § XIX. not. 74. p. 114. edit. secund, Rostock. 1752. 4.

potius, si non ultra omnem dubitationem, ad summum tamen verisimilitudinis fastigium eueheretur, varii generis argumenta, hac fere, quae sequitur, orationis serie constructa, in medium protulit:

„Adhaeserunt ex more peruetusto praediis Clericorum pariter atque Laicorum seruitia militiae, quae possessores Imperatoribus Germanorum praestare tenebantur. Militabant igitur, militia indicta, Episcopi et Abbates cum Laicis commixti. Quoniam vero communis sensus enascebatur opinio, offendit huiusmodi seruitii decorum clericalem; libertas a militia personali Clericis publica sanctiōne indulgebatur iisque adeo inuitis obrudebatur. Quae igitur seruitia militaria ab hoc inde tempore praestanda erant, ea Clerici, quorum praediis et posthac annexa permanebant, per homines suos praestare solebant. Eiuinero Episcopi et Abbates, prouti militiae paulatim per annorum decursum ipsi desueerant, ita tandem et praedia sua gestiebant ab onere seruitiorum militarium prorsus liberari. Euenit itaque, ut partim militiam indictam detrectarent, partim ab ea fundos suos aut pro bellica expeditione, quae instabat, aut in omne aeuum redimerent, dum vel Imperatorum Missis, qui dicebantur, dona potestatemque, quos placeret, ad chorum praesentandi offerrent, vel Imperatores Germaniae iure praesentandi ad beneficia ecclesiastica in perpetuum exercendo remunerarentur. Neque vero huiusmodi remunerationem, quantumvis exigua esse videbatur, Imperatores Germaniae recusabant, quippe qui paucorum hominum, quos mittere Clerici consueuerant, seruitii absque detimento carebant, ac insuper inmultitudinem militum semper habebant, qui beneficia ecclesiastica tanquam militiae praemia loco praediorum, ad quae alioquin adspirabant, libenter et grato animo acceptarent. Prodiit igitur exinde potestas Imperatorum Germaniae, quae ex more antiquo Iuris precum primiarum nomine insignitur. At vero conjectura ista firmo suo fundamento adhuc care videtur, quandoquidem non modo de transactione, qua ntitur ius precum primiarum, per omnia Scriptorum historicorum monumenta

menta rerumque publicarum et priuatarum documenta silentium vbius profundum obtinet, sed dictio quoque precum primariarum repugnat. Atqui nullus profecto erit, qui inficietur, Episcopos et Abbates tanquam praediorum possessores Imperatoribus Germaniae militiam debuisse, adeo, ut Henrici III. et IV. praedia Episcopatum, Abbatiarum et Monasteriorum in poenam neglectae militiae vindicarent suis que militibus feudorum vinculo donarent. Post Henricos deinde huiuscemodi juris, quod potissimum Henricus IV. strenue exercuit, nuspia in Historia mentio amplius iniecta est. Interuallo autem annorum paene ducentorum interiecto, ius conferendi praebendam, quod Imperatores ex inueterata consuetudine sibi competere publicis in documentis affirmabant, per Germaniam celebrari coepit. Ab hoc porro iure constat tum Carolum IV. in utilitatem Monasterii Pfullingenensis ^{o)} et Wenceslaum in commodum Coenobii Francofurthensis ^{p)}, tum Maximilianum I. in gratiam Ordinis Teutonici ^{q)} sese abdicasse. Accedit, quod, sicuti ex Diplomate de anno MCCCXCII. penes LEIBNITZIVM ^{r)} videre licet, Monasteria, in terris Brunsuicensibus siue Saxonice sita, id officium sibi iniunctum habebant, ut vel servitia militaria Ducibus Brunsuicensibus exigentibus praeferarent, vel homines ab iisdem praeferent ad praebendam admitterent. Cum igitur neque Monasteria Pfullingense et Francofurthense, neque Ordo Teutonicus a servitate precum primariarum, quae ipsis adeo fundis adhaerebat, absque priuilegio caesareo liberari possent, contra vero nec

A 3

Mona-

^{o)} Videantur *Documenta Monasterii Pfullingenensis* N. XV. p. 352. in *Virginum Sacrarum monianensis*, quae addita sunt *Documentis rediuiuis monasteriorum praecipitorum in Ducatu Wirtenbergico sitorum*; nec non L. B. DE SENKENBERG in *Tractat. de iure primarum precum. Codic. Probat. Adiunct. XXIX.*

^{p)} Apud SENKENBERG, in *Sele-*

ctis Iuris et Historiarum. Tom. I. et ibi Diplomata, Claustr. D. Catharinae. N. XVIII. p. 155.

^{q)} Apud SENKENBERG, in *Tractat. de iure primarum precum. Codic. Probat. Adiunct. XLVII.*

^{r)} *Scriptor. Rerum Brunsuicensium* Tom. II, p 396. seq.

Monasteria Brunsvicensia de onere a Ducibus sibi imposito apud Imperatorem aut Pontificem conquererentur, nec Episcopi vel Abbates Imperii, libertatis suae tenacissimi, de precibus primariis Imperatoris Germanorum querelas ad Pontificem mouerent, nec Pontifices, acerrimi Imperatorum aemuli et Imperii ecclesiastici vindices, precum primariarum exercitium coercent; dubitari sane nequit, quin ius exigendi seruitia militaria antiquius in ius praesentandi ad praebendas recentius tanquam consuetudinem, ab uno Imperatore ad alterum propagandam, clam et absque documentis transactionum abierit. Atque hinc sponte sua simul emergunt causae, cur precum primariarum ambitus modo latior modo arctior esset, Fundationumque ecclesiasticarum et religiosarum aliae precibus illis nunquam, aliae semel duntaxat, aliae iterum bina vice subfessent. Nam Monasteria, ut ea exempli loco ponantur, vel nullas vel unas pluresue preces admittere ac insuper seruitia militaria praeflare tenebantur, prout mansi ipsorum a seruitiis illis vel plane et ex prisino instituto, vel ex parte maiore minoreue pro viribus remunerationum deinceps promissarum exempti erant. Licit vero virtus conjecturae per silentium de transactione, inter Imperatores et Episcopos Abbatesque Imperii inita, neutiquam vitietur, eidem tamen dictio precum primariarum repugnare videtur. Praesentatio enim ad beneficia ecclesiastica, quae iure ex transactione quaesito innitebatur, nec precum nec primariarum precum munimine egebat. Verum dictio ista speciem magis, quam veram repugnantiae indolem praefert, quippe quae vim suam, si quam habet, non naturalibus iuris, de quo agitur, sed potius errori et ignorantiae eorum debebat, qui literas praesentationum lingua latina primitus concipiebant. Etenim utabantur Maiores nostri vocabulo Bede, Bethe, quo non modo Preces, Bitte, sed etiam quamcunque pensio nem vel praestationem, Abgabe, Leistung, exprimebant, ita, ut haec, si vel maxime olim precando efflagitata esset, longo tamen usu in genus tributi, ab inuitis etiam exigi soliti, degeneraret. Pro-
eul

cul dubio igitur seruitia quoque militaria, quae vna cum praediis ad Clericos transferebantur, communii nomine Bede appellabantur, addito forte epitheto militiae, Kriegsbede. Ac posteaquam seruitia militaria cum praeSENTationes ad beneficia ecclesiastica permutata fuerant, haud alia quam vox Bede usurpabatur tum, cum noua haec praeSTATIONUM species denotabatur. Iam qui res causasque latino sermone conscribebant, ii vocem Bede vocabulo Petitionis aut Precariae reddebat. Sed Scribae, quorum erat literas praeSENTATIONUM ad beneficia ecclesiastica concipere, vocem vistitam Bede nec vocabulo Petitionis, nec Precariae, nec Tributi, Pensionis, Census, Stipendii vel Compensationis, verum potius vocabulo precum exprimebant. Nam Petitionis et Precaria propterea ipsis displicebant, quia diversis iam negotiis et causis ea vindicari videbant, quibuscum praeSENTATIONES ad beneficia ecclesiastica commiscere verebantur. Neque magis placebant voces Tributi, Pensionis, Census, Stipendii et Compensationis, quoniam, siue nota esset siue ignoraretur causa praeSENTATIONUM genuina, Laicum ad Clericos scribentem minus decere existimabantur, praesertim cum et Pontifices Romani eodem aeuo ad beneficia ecclesiastica nonnisi precando praeSENTarent. Hos igitur imitaturi et, quantum credere fas est, originis praeSENTATIONUM ignari autores literarum, quibus Imperatores ad praebendas nominabant, vocem vernaculam Bede haud dubitabant male vertendo voce Precum consignare atque per id efficere, vt ius praeSENTandi ad praebendas, Imperatoribus transactione quaeSITUM, temporum successu in ius precum transformaretur. Scribas autem medii et recentioris aeuij pro ignorantia sua voces germanicas in sermonem latinum pessime vertisse, praeter alia testantur vocabula Gallina fumosa, Indago, Vicus, Saccus, Sepes, Campus et Ministri prouinciales, quibus voces vernaculae das Rauchuhn, der Hagen, die Wick, der Sack, quae erant partes Ciuitatis Brunsuicensis, nec non arces eiusdem Ciuitatis Tun et Cam pen, denique die Lands-

knech-

knechte^{s)} reddebanter. Quemadmodum itaque ius precum primariarum, quod proprio nomine Bede veniebat, relius dicebatur Precaria, ita nostrum est, significatum Precum, in locum vocis Bede substitutarum, ex significatu Precariae aestimare. Atque haec interpretatio eo iustior erit, quo certius est, eam ipso iuris precum primariarum vsu adiuuari, qui aetate Rudolphi Habsburgici eiusque successorum obtinuit. Vti enim Precariae illo aeuo exigebantur, sic et Preces Imperatorum primariae exigebantur, ideoque haec aequae, ac illas, genus praefationum, quae iure debebantur, indicabant. Neque preces simpliciter scribebantur, sed adiuncta sibi plerunque habebant epitheta primae, primariae, primitiae precum. Primitiae autem olim pensiones praefationesque significabant; dictio primariae preces complectebatur iuris ad chorum praesentandi praerogatiuam, qua Imperatores p[ro]e aliis fruebantur; et epitheton primae preces monebat, transactioni adiectam esse conditionem, ut singuli Imperatores iure praesentandi semel tantum, et quidem sub initium Imperii sui vierentur. Tantum igitur abest, ut haec varia dictio conjecturae de origine iuris precum primariarum repugnet, ut potius eam admodum confirmet. Et quod praeterea in Literis Rudolphi Habsburgici verba ob reuerentiam Sacri Imperii usurpantur, id multo minus obstat, cum apertum sit, auctoriter Literarum ea haud alia mente adspersisse, quam ut dictiōne precum amplius exornaret.⁴⁶

Quam ergo sententiam de origine iuris precum primariarum quinquaginta circiter abhinc annis Gallus quidam et cum eo AYRERVS amplexus erat, eam ANONYMVS, duce AYRERO an sponte, incertum, denuo est commentatus. Si enim coniecturam ANONYMI cum opinionē

s) Videatur TELOMONII ORNATOMONTANI Descrip[itu]s belli, inter Henricos Iuniorem et Seniorem, Duc. Brunsuic. et Luneburg., et Ciui-

tatem Brunsuicensem circa annum 1492. gesti, apud LEIBNITZIVM Scriptor. Rerum Brunsuicens. Tom. II,

nione Galli et AYRERT, ius precum primariarum a dominio directo et
inuenitura feudali repetentium^{t)}, comparaueris, utramque animad-
vertes secum inuicem congruere, ita tamen, ut ANONYMVS eadem
excolenda AYRERVM longe superauerit. Fatendum scilicet est, ANO-
NYMVM tam ope ingenii quam auxilio Historiarum et Antiquitatum
summa cum industria procurasse, quicquid argumentorum esset, qui-
bus sententiae ipsius conciliari posset lectorum consensus. Sed cum
omnium conjecturarum ea sit indoles communis, ut causam, quam
concernunt, aliqua saltem ex parte dubiam relinquant; nec ANONY-
MVS diffutetur, sese de sua quoque opinione simile iudicium pati.
Ac sane non desunt omnino, quae in contrariam partem dicantur.
Nam bene quidem constat inter rerum germanicarum peritos, Cleri-
corum pariter atque Laicorum praediis adhaesisse seruitia militaria,
nec ullum uspiam deprehensum esse vestigium transactionis, qua Cle-
rici in remunerationem seruitiorum illorum sibi remissorum Impera-
toribus potestatem nominandi et praesentandi personas ad beneficia
ecclesiastica concessisse seruntur. Verum minus fortasse inter eos et
ANONYMVM conuenit de indiciis, unde ad huiusmodi transactionem
iusta vel probabilis fiat argumentatio. Primum enim haud quidem
latet, Henricum IV. ab Ottone, Episcopo Bambergensi, petuisse, ut
aniliti cuidam de feudo ecclesiastico prouideret^{v)}. Sed vindicatio
fundorum ecclesiasticorum, quos Henrici IV. et V. militibus suis in
feuda dedit esse referuntur, a Clericis nomine usurpatonis et sacrilegii
damnabatur, et, Henricis a Pontifice Romano et Clero viatis, Im-
peratores, qui succedebant, a simili conamine facilius arcebantur.
Igitur silentium de vindicatione praediorum ecclesiasticorum sub re-
gimine Imperatorum, qui Henricos IV. et V. subsecuti sunt, perpe-
tuo obseruatum non tam remissioni militiae, quae Episcopis et Abba-
tibus

t) Videatur Specimen I. § IV., ubi opinionem istam exposui.

v) Videatur Specimen I. §. VI. not (p.)

tibus contigisse perhibetur, quam potius auctae Clericorum auctoritati et minutae Imperatorum potestati tribuendum videtur. Est porro manifestum, Monasteriis Pfullingensi et Francofurthensi Ordinique Teutonico euenisse beneficio Caroli IV., Wenceslai et Maximiliani I. a seruitute precum primariarum immunitatem. Num vero inde sequitur, fundis Clericorum hanc seruitutem annexam ac proinde e transactione de seruitiis militiae progenitam esse? Nonne ius precum primariarum aetate Caroli, Wenceslai et Maximiliani ita comparatum erat, ut singulis Imperatoribus in integra Collegia et Congregationes ecclesiasticas et religiosas perpetuo competeteret? Poteratne ergo fieri, ut Monasteria Pfullingense et Francofurthense Ordoque Teutonicus a seruitute precum primariarum aliter, quam priuilegio caesareo eximarentur, etiamsi ea non transactioni, sed precibus consuetudine longa firmatis originem deberet? Et si deinde animus paullo proprius ad verba Diplomatis attenditur, quo de seruitiis militaribus Monasteriorum in terris Brunsuico-Luneburgicis sitorum et de presentatione Ducum earundem terrarum ad beneficia ecclesiastica statuitur; mens auctorum Diplomatis ab interpretatione, quam ANONYMVS dedit, haud parum aliena esse intelligitur. Etenim definiunt in eo Duces Brunsuico-Luneburgici pristinum suum ius exigendi a Monasteriis aliisque Fundationibus ecclesiasticis seruitia militaria praesentandique ad praebendas, ita, ut nullam prorsus faciant mentionem seruitutis militiae cum seruitute prouisionis ecclesiasticae commutatae ^{x)}). Nec denique

^{x)} Verba Diplomatis, quatenus
huc spectant, sunt: „Ok hebbet uns
(Bernardo et Henrico, Ducibus Bruns-
uico - Luneburgicis) unsse Ammebr-
üde und man vor ware angberichter
unne Herberge und Denft der Clostere
unser Herſchöp, de uns Denftes pleger.
Wo me dat geholden hebbe by zelicher

Decheniffe unser Vorvaren Herzogen
Orten und Herzogen Wilhelmes riden,
dar willé we uns und unsse Ammebr-
üde, Vogede und Denere, und unsse
Man Schüller sijc ok ghenslikken also dar-
na richien, dat noch we en willer, noch
ze en schüller nene vromede Vorſten,
noch Dagedingesdage, oder Zamma-
linghe

admirationem mouebit discrimen precum primariarum, quarum ad alios collatores beneficiorum nullae, ad alios vnae pluresue dabantur; nec suspicionem adseret patientia, qua Monasteria Brunsuicensia, Episcopi et Abbates Imperii Pontificesque Romani preces Ducum Brunsuicensium et Imperatorum pertulerunt, licet de iis antea haud transactum esset. Quid? Si sumamus, preces, quibus Imperatores et Duces Brunsuicenses benevolentiae collatorum

linghe oppe der Closterhove eder in ere Dorpe eder Gud legen. Hedde we aver Krich vau unsrer Herschop wogene eder umme unsrer Underzaten Bescher myuge willen; Legede we denne Zamelinge in ere Dorpe eder Gud, dat scholdie an de Zare, de we mit den unsen in unsrer Herschop Lunelorch hebbet, nicht roren. Doch wille we dat maken, als we gnedigst mogen, alsfeme dat by der vorschrevenen Vorsten tiden ob heft geholden. Und umme unsre egene Herberge uppe den Closterhoven willewe und unsre Ammechtitude, Vogede und Denere schullen den Closteren zo vogelik maken, dat ze des wol gewesen, und bestendich bliuen moghen. Desfulven Clostere en schullen ok uns, noch unsren Ammechtilden oder Vogedelen mit eter Wagenen zo nenerleye Powstwerke eder Burwerke, noch zo Kokene Holtze vore denen, alsfze by der vorbenomden Vorsten tiden ok ny geploghen hebbet. Und funderlik in der Erne schulle we ere Wagene Hovedestes vordregen, alsfaz ok by der sulven Vorsten tiden heft wöntlich ghevessen. Wanne we aver herwarder, ro velde lieget, eder unsre Slote buuer, und wannen unsrer Legber over thut, dar pleget uns desfulven Clostere Denstes ro mit eter Wagenen und to anders tunen.

Stucken. Und de underzaten und Lude der Clostere, de uns denet und Herberge pleget, alsf vorschreiben is, zind uns noch unsren Ammechtilden oder Vogedelen nenerleye Bede, Denstes noch Herberge plischick. Wanne on en Vorste unfe vorschreven Herschop Lunelorch erst entfanger to vorstande, so gift deme Vorsten en jewell Closter ene Gheftlike Provende. Desghelik ghift me ok den Vorsten ene Provende, wan ne se echte Vrouwen nemet, und nicht mer, und umme anders nener Zake willen, vor wene ze na der Closter Ghezette, Wonheit und Rechte denne biddet. Und weme we der Provende welk gevet, de wille we benomen in unfeme Breve. Vorkofte de de Provende yemende, den Koper schullet de Clostere newys entfangen, und de Vorkoperschal der Provende verlustich we sen, und de Bede umme de Provende vor enen anderen schal weder to uns komen. De anderen Clostere, de by der vorschreven Vorsten tiden alsdanes Denstes in unsrer Herschop eder sodaner Provende to gevende nicht geploghen hebbet, de schullen we und willer by der sulven Vryheit roweliken und ewigen laten.“

ordinariorum homines, quos saevore suo amplestebantur, commen-
dauerant, tandem vim nominationum legitimarum induisse, num
aliud inde redundabat, quam ipsum illud precum discriminem? Eslae
minus probabile, preces legitimas a singulis Imperatoribus et Ducibus
seculo XIII. et XIV. ad singulos collatores ordinarios ideo vna, aut
bina, aut plane nulla vice directas esse, quia ab aliis semel tantum, ab
aliis bis, ab aliis nunquam admitti consueverant? Si quis vero apud
animum perpendat potentiam Ducum Brunsvicensium, vinculum, quo
Episcopi et Abbates Imperatoribus obstringebantur, collationemque
beneficiorum Ecclesiae Germanicae maiorum et minorum ab aucto-
ritate Pontificum Romanorum per secula plura immunem, parum pro-
fecto aut omnino nihil mirabitur, Monasteria et Episcopos Abbates-
que, vel adeo Pontifices Romanos Imperatorum et Ducum preces pa-
tienter pertulisse.

Sunt ergo indicia transactionis, quam genitricem iuris precum
primariarum esse ANONYMVS autem, incertae argumentationis. Ipsa
vero dictio precum primariarum cum conjecturae de trans-
actione aduersetur, malae versioni addicitur. Sed a vero haud ita
multum aberrauerit, qui rationes, quibus Scribarum in genium lin-
guae latinae et germanicae peccatum comprobatur, idoneas esse ne-
get. Nam licet quidem, ut fas est, concedatur, vocem Bede, qua
maiores nostri preces primarias appellabant, olim non solum preces,
sed etiam pensionem praestationemque iure debitam significasse;
exempla tamen vocabulorum, e lingua vernacula in sermonem lati-
num ab uno alteroue Scriptore male translatorum, absque iniuria ad
alios trahi nequeunt, nisi eiusdem vitiis aliunde arguantur. Scribæ
igitur, qui literas presentationis caesareae primitus latina lingua con-
cipiebant, de origine iuris praesentandi aut certiores euaserant, aut
eam ignorabant. Atqui si vel maxime nescirent, unde et quo tem-
pore ius illud caesareum enatum esset; probe tamen nouerant, colla-
tionem beneficiorum minorum a potestate Imperatorum nec unquam
peper-

pependisse, nec sua aetate pendere. Quod autem cum scirent, quem, quaeſo, significatum vocabuli Bede habebant, qui alteri potissimum praeferretur, niſi significatum precandi, et quam vocem latinam, qua ille aptius exprimeretur, niſi vocem precum? Si vero, quod est alterum, cognouerant natales iuris praefendant imperialis, eosdem ſibi persuasum habebant aut conueniōni aut liberalitati et obſequio debetri, quo collatores ordinarii hominibus ad preces Imperatorum de beneficiis ecclesiasticis ſaepius confueuerant prouidere. De conuentione ſi ipsis conſtabat, quenaam erat ratio, cur in literis praefectionis vocem Bede vocabulo Precum, quam Precariae vel Petitionis vel iuris adeo conuentione quaeſiti exprimere mallen? Num, vt ANONYMVS coniecit, quia vocabulum Precariae negotiis certis iam vindicatum videbant? Sed praefentatio caſarea ſimile erat negotium, et, quatenus ius praefendant aequa, ac Precaria, potestate exigeendi inuoluebat, eatenus utriusque notio ſub eodem genere comprehendebatur. An timore Clericorum, vt rursus voluit ANONYMVS? Enim vero Clerici in praefectiones Imperatorum tranſigendo conſenſerant. Numne metu Pontificum Romanorum? At hi, cum transactionem edociti eſſent, praefectiones imperiales tacendo perferebant, ANONYMO ipſo ita mōnente. An ex imitatione eorundem Pontificum? Verum hi non erat ius quaeſitum, vt erat Imperatoribus. Deerant igitur idoneae caſae, cur Scribae precum potius diſtione, quam vocabulo uterentur, quod magis conueniret rei conſignandae. Caſis autem huiusmodi defiſcentibus, aequitas ſuadet, vt ne Scribis inalae versionis vitio vertamus diſtione, quam, ipſa re ita urgente, ab iis adhibitam eſſe, non eſt, cur negemus. E contrario ſi iidem Scribae didicerant, ius praefendant caſareum ex liberalitate et obſequio Clericorum emanaffe; nullum Oberat impedimentum, quominus Bede verterent Preces. Quemadmodum enim collationes benefiſiorum ecclesiasticorum, ad quas ab initio Imperatores ordinarium collatorem nonniſi precando permouerant, poſtea exigi cooperant, ita significa-

tus vocabuli Bede primaevus deinceps notionē iuris precandi augebatur. Haec autem notio, quid mirum, si et latīnae voci precū a Scribis tacito vsu adiiciebatur? Siue igitur originein iuris præsentandi ignorauerint, siue de ea certiores facti sint, non malae, sed bonae versionis officio positi esse videntur. Atque ne Posteri forte a recta interpretationis via deflecenterent, ipsi adeo ita prouiderunt, vt vocem Precū modo epithetis primāe, primariae, primitiae, modo dictione ob reuerentiam Sacri Imperii amplificarent. Qua quippe licentia ANONYMVS epitheton primāe a conditione repetit, qua Clerici transigentes exercitium iuris præsentandi ad prima Imperii suscepit initia restrinxisse dicuntur, eadem quoque licentia illud repetemus a pristina consuetudine Imperatorum, qui preces suas ad collatores ordinarios sub regiminiis præfertim auspicio fundebant, quoniam spes erat, fore, vt tum temporis euentum sortirentur certiorem. Quo porro iure ANONYMVS epitheton primariae ita explicat, vt sit indicium iuris præsentandi Imperatoribus prae aliis competentis, eodem, ne dicam, fortiori iure illud interpretabimur sic, vt preces potiores et in excitanda liberalitate collatorum efficaciores intelligamus. Nam si ius præsentandī transactione quaestum erat, literae præsentationum tali fulcro neutiquam egabant. Si vero ius illud pre-cibus, repetita vice liberaliter admissis, tribuebat, vox primariae consilio præsentantis optime conueniebat. Qua rursus auctoritate ab ANONYMO vocabulum primitiae sensu pensionum præstationumque accipitur et sententiae de transactione accommodatur, eadem etiam auctoritate illud sensu precū, prima vice ad collatores missarum, capiemus et sententiae de liberali collatorum obsequio adplicabimus. Quo denique arbitrio ANONYMVS verba ob reuerentiam Sacri Imperii nonnisi dictionis precū exornandas causa inserta esse asserit, eodem arbitrio illa commode affirmabimus ideo adpersa esse, vt vim precū caesarearum augerent.

Quod.

Quodsi ergo bonus causarum arbiter argumenta, ab ANONYMO exposita, cum iis, quae in contrariam partem responderi possunt, paullo attentius contulerit, industriam quidem ANONYMI sagacem multa cum laude admirabitur, sed tamen, ut eius conjecturam Aliorum sententiis de origine iuris precum primariarum ^{y)} praferat, difficile a se impetrabit. Quaeret enim iusuper documenta historica, unde sibi persuadeat, a seruitiis militaribus immunitatem omnibus omnino collatoribus ordinariis transfigendo iam ea contigisse aetate, qua Rudolphus Habsburgicus publice prouinciacabat, esse sibi qui Imperatori ius in singulis Imperii Ecclesiis semel, dum regeret, expetendi beneficium, de quo personae a se nominatae prouideretur ^{z)}. At hanc causam, etiamsi caput argumentationis esse debuit, ab ANONYMO in tota Commentatione reprehendet perpetuo silentio praeteritam esse. Igitur ipsam conjecturam primo suo fundamento carere censembit, donec evincatur, quod, antequam Rudolphus Habsburgicus literas precum dederit; praepter Archiepiscopatum Bremensem ^{a)} et Werthinense ad Ruram Monasterium ^{b)}, ceteri etiam Episcopatus, Abbatiae et Monasteria, in primis autem Episcopatus Halberstdenensis ^{c)}, Monasterium Walkenridense ^{d)}, Schmerlebencense ^{e)}, Sandi-

monia.

y) Videatur Specimen I. §. I. seq.

z) Videatur Specimen I. §. IX.

a) Videatur Specimen I. §. IV.
not. (k)

b) Concessit Monasterio Werthinensi ad Ruram Conradus II. immunitatem a seruitiis militaribus anno 1024., quo darum est Diploma, cuius exemplum exhibetur apud SCHATTENIVM in Annal. Paderbornens. P. I. Lib. V. p. 463.

c) Videatur Specimen I. §. IV.

not. (l)

d) Namcum est libertatem a seruitiis, quae dicuntur, sequeiae beneficio Rudolphi Habsburgici ad annum 1290; suntque huius rei testimonium Literae Rudolphinae apud HEINRIC. ECKSTORMIVM in Chronic. Walkenridensi. p. 109. seqq.

e) Impetravit ab Henrico VII. exemptionem a praestatione Curruum expe-

monialium Vallis Sanctae Mariae et in Zimmern, sive, ut vulgo vocatur, Frauenzimmern et Seligenthal^{f)}, nec non Heilsbrunnens^{g)} atque Weyleriense^{h)} seruitia militaria sibi tulerint remissa.

expeditiorum anno 1309., quo date sunt Literae Henrici apud L. B.
DE GUDENVS Codic. Diplomatic. Tom. III. N. XLV. p. 58.

f) Donauit ei Henricus VII. exemptionem a praefatione Currum expeditiorum in Diplomatibus de anno 1309, quae exstant apud DE GUDENVS Codic. Diplomatic. Tom. III. N. LXVII. p. 735. et in Document. Monasterii Frauenzimmern N. XI. p. 518, quae faciunt partem Virginum Sacrarum Monimentorum ad calcem Document. rediviuor. Monasterior. praecipuor. in Ducatu Wirtembergico sitorum.

g) Quod ab officio Hospitorum

et Alimentorum in expeditione caesarea suppeditandorum ad biennium gratia Caroli IV. solutum est in Diplomate de anno 1360. apud IO. LVNOV. HOCKERVM in Supplemen. tis zu dem Heilsbrunnischen Antiquitaten-Schatz. Part. II. Sect. II. N. XXIV. p. 142.

h) Quod perpetuam a praefatione Currum expeditiorum immunitatem Carolo IV. acceptam tulit, uti ex Literis de anno 1360. patet, quae reperiuntur in Documentis Monasterii Weyler. N. V. p. 454. Insertis Virginum Sacrarum Monimentatis, quae Documentis rediviuis Monasteriorum principiorum in Ducatu Wirtembergico sitorum adiecta depuehendantur.

HISTO.

HISTORIAE
IVRIS PRIMARIARVM PRECVM IMPERIALIS
EIVSQVE EXERCITII CONTINVATI.

§. XVIII.

Sub Alberto II.

Saepenumero aetas ita tulerat, ut literae precum, quas Imperatores Sigismundo paullo antiquiores dederant, aut nullum aut nonnisi cum summa eorum molestia euentum nanciscerentur. Aegro enim animo collatores beneficiorum ecclesiasticorum ordinarii circumscribi patientur collationem, cuius integritatis ipsis adeo Pontificibus Romanis per secula multa fuerat verecundia. Crescebat sensim impatientia collatorum, postquam Pontifices Romani, pristina ordinariae collationis verecundia penitus neglecia, communionem prouisionis alienae affectare cooperant. Etenim haud raro dehinc accidit, ut ad idem beneficium vel vacans vel vacaturum cum precibus primariis modo gratiae, modo reseruationes Pontificiae concurrent. Minabantur Imperatores collatoribus immorigeris iacturam feudorum; et, qui mandatis Pontificum haud obediebant, iis Censurae ecclesiasticae pericula imminebant. Coercitio ecclesiastica firmo pede procedebat altaque vulnera infligebat; vindicta vero caesarea tarde et lente progrediebatur,

C

tur, et plerumque metum inanem incutiebat. Proinde collatores, quorum erat, subire pericula incerta, ne certam facerent iacturam, gratias Pontificum, licet iniuti, exequabantur, et Precistis imperialibus spem praemii vanam relinquebant. Quae itaque impedimenta cum non tam arbitrio collatorum, quam arrogantiae Pontificum deberentur, Sigismundus, cuius preces primariae ob eandem causam collatoribus frustra offerebantur, a Concilio Basileensi, prout iam sub finem Speciminis II. exposui^{a)}), petebat, ut precum primiarum ius ad omne aevum a violatione tutum saluumque collocaret. Patres autem Concilii, riulos cunctorum obstatolorum peregrinos et domesticos obstructuri, decernebant, ut preces cuiusvis Germaniae Imperatoris ab omnibus, quos complectetur Imperium, collatoribus ordinariis, sive coniunctim sive diuisim beneficia conferrent, paucis exceptis^{b)}, admitterentur, animique obstinatorum ab executoribus et subexecutoribus Censura ecclesiastica flecterentur. Ac ne gratiae et mandata Pontificum obsequio denegato amplius praetenderentur, neve Precistae caesarei electionem beneficii, ad quod preces primarias impetrassent, nimis morarentur, ex sententia Patrum eiusdem Concilii collatores iubebantur Precistas ad beneficia, quae intra mensem elegissent^{c)}, admittere, precesque primarias gratis papalibus praeferre. Veruntamen quo maior horum suffragiorum fauor erga Sigismundum eiusque successores esse videbatur, eo aequius esse statuebant Patres Concilii, ut ius Precistarum leuioris ponderis duceretur, si de acceptatione et prouisione, quae cuiquam virtute gratiarum papalium contingisset, collatoribus legitime constitisset, priusquam literae precum prima-

a) §. XVII. p. 40;

b) Vid. Specimen II. §. XVII. p. 40, seq.

c) Spatum tamen mensis, intra

quem beneficium a Precistis acceptandum sive eligendum erat, iam ante Concilii Basileensis tempora visitatum fuit, et a gratis Pontificum ad preces Imperatorum vsu translatum videtur,

primariarum ipsis oblatae essent^{d)}). Posteaquam ergo per hocce Decretum Antistites Ecclesiarum Germanicarum Basileae ius precum primariarum publice agnouerant nouisque viribus munierant; vix poterat dubitari, quin preces, ad quoscunque collatorum porro dirigerentur, omnes longe prosperrimae cessurae essent. Quoniam vero Sigismundus anno circiter post Decretum Concilii vita sua defungeoebatur, ipse quidem exitum precum suarum, si quas denuo concederat, laetiorem vix sentiebat. Albertus quoque II., ad quem deinceps Imperium delatum fuerat, morte subitanee prohibebatur, quominus, qualisnam et quanta esset Decreti efficacia, experiretur. Quin ne constat quidem, num intra quindecim menses, per quos Germaniae praefuit, vllas omnino dederit preces. Quare quicquid roboris iuri precum primariarum Patres Concilii addiderunt, id omne quem usum habuerit, preces Friderici III, Alberto succendentis euincunt.

§. XIX.

Sub Friderico III.

et quidem

I. ante Indultum papalem.

Fridericus igitur III, quem et Ordines Imperii et Ecclesiae Germaniae tutorem libertatis ecclesiasticae desiderauerant, statim sub primordia regiminis, quod ab anno MCCCCXL usque ad annum MCCCCXCIII. tenuit, quatuor saltem, prouti fide diplomatica constat, literas precum primariarum dedit. Primas earum ante, quam coronam Aquisgrani ritu solemni sibi impositam tulerat, reliquas vero vel ipso die inaugurationis vel breui tempore post concessit. Precista

C 2

enim

d) Verba Decreti Concilii Basileensis hoc spectantia videantur in Specimine II, §. XVII. not. (a)

enim *Ioannes Ferreer*, Theodorici Archiépiscopi Moguntini Secretarius, qui primas precum literas, ad Ecclesiam Sti Albani extra muros Mogunt. directas, impetravit, earundem literarum Procuratores cum facultate substituendi alios Procuratores secunda die Ianuarii anno MCCCCXLII. sibi constituit ^{e)}. Secundas deinde et tertias preces, quarum illas Fridericus *Johanni de Blifa*, Clerico Leodiensi Dioecesis Baccalario in artibus, ad Abbatem et Conuentum Monasterii sancti Pantaleonis Colonensis Ordinis sancti Benedicti, has vero *Johanni Dynslaken*, Clerico Colon. in artibus Magistro et in sacra pagina Baccalario, ad Abbatissam et Capitulum secularis Ecclesiae sanctae Caeciliae Colonensis obtulit, ipso die Coronationis, hoc est, decima septima die mensis Iunii anno MCCCCXLII. Aquisgrani datas esse, ex subscriptione Literarum manifesto apparet ^{f)}. Quartarum denique precum, quas Fridericus, rogante Theodorico Archiepiscopo Moguntino, *Heinrico Lupi* ad Decanum et Capitulum Ecclesie sancti Petri Fritzlarensis indulxit, executio eidem Theodorico commissa est eo euentu, vt Archiepiscopus die

e) Literae mandati procuratorii, quae reperiuntur apud STEPH. ALEXANDR. WÜRTWEINIVM Subsid. Diplomatic. ad selecta iuris ecclesiastici Germaniae etc. Tom. II. N. XII. p. 48., datae sunt Anno a nativitate Domini Millesimo quadrageintesimo quadragesimo secundo. Nisi ergo aliquis inspicari maluerit, Notarium, Literarum illarum auctorem, secutum esse consuetudinem annorum a viceculo quinto vel alio die mensis Martii a spicandorum hic illuc olim visitatam; credere par est, ipsas preces primarias anno, qui praecessit, 1441. iam indultas esse.

f) Literae precum pro *Johanne de Blifa*, quas WÜRTWEINIVS Subsid. Diplomatic. Tom. III. N. LV. p.

411. et ex eo L. B. DE SENKENBERG in Trastat. de Iure primarum precum Codic. Probat. Adiunct. XL. p. 53. exhibuit, subscriptae sunt: Datum Aquisgrani ipso die felicis coronacionis nostre Anno Domini Millesimo quadrageintesimo quadragesimo secundo regni nostri anno tertio. Cui subscriptioni cum nec dies nec mensis adiectus sit, WÜRTWEINIVS Literarum, pro *Johanne Dynslaken* eodem die datarum, subscriptionem loc. laud. p. 414. cum lectori communicauit addito die et mense ita conceptam: Dat. Aquisgrani die felicis Coronacionis nostre decima septima mensis iunii Anno Domini Millesimo quadrageintesimo quadragesimo secundo regni nostri anno tertio.

die Martis, qui diem Sancti Iacobi proxime subsequebatur, anno MCCCCXLII. Francofurthi primis executoris officiis fungeretur. Hic autem dies Sancti Iacobi cum in mensem Iulium incideret, cum que solemnis Friderici inauguratio mense Iunii celebrata esset, ac Theodoricus precum primiarum, quas ipse expetiuerat, executionem procul dubio acceleraret potius, quam remoraretur; literas precum illarum, omnino probabile est, vel ipso coronationis die vel paullo post ab Imperatore impetratas esse ^{g)}). Haudquaquam ergo inter iuris ecclesiastici Interpretes lis amplius est de solertia, qua Fridericus III. in gratiam quorundam virorum ius precum ad se delatum sub prima statim Imperii sui initia exercuit. Enimvero de emolumen-
tis si quaeritur, quae Fridericus ex Decreto Concilii Basileensis et Pre-
cistae ex gratiis Imperatoris perceperunt, nec hodie facile erit, qui
purum de iis arbitrium ferat. Nam ipse quidem Fridericus in literis
precum, quae antea commemoratae sunt, missò Decreto, ad solam,
quam Antecessores obseruauerant, antiquam et dudum approbatam con-
suetudinem iusque ex eo enatum commune prouocauit, et precibus suis
ob reuerentiam ipsarum singularem futuramque cuiusvis generis bene-
ficiorum, a pristinis Imperatoribus sensim tributorum, integritatem
satisfieri voluit ^{h)}). Neque vilum Decreti illius indicium deprehen-

C 3

ditur

g) Literae executionis ipsae extant apud WÜRTTEIN. Subsid. Diplomatic. Tom. II. N. XIII. p. 52.

h) De hac indole precum ut vnicuique persuadeatur, argumentum Literarum pro Iohanne de Blisia, quibuscum Literae, in gratiam Iohannis Dynslaken concessae, tantae, quantae erant, conueniebant, merito hoc transferetur. Sunt autem verba, quae imprimis ad rem faciunt, ita: *Divi-*

na nuper dispensacione ad regale sublimari fasigium Augusti nomen suscepimus ut inter cetera Vniverstatem iurium obseruanciarum atque consuetudinum per Diuos Romanos Principes predecessores nostros laudabiliter introductarum pro viaeitate nostra inviolabilitate augeamus et conservemus. Cum itaque tam ex iure communii (quod adiecitum ab omnibus literis precum antiquioribus abest, et ins cunctis Imperatoribus in omnes Imperii Ecclesias

ditur in Literis executionis, a Theodorico Archiepiscopo Moguntino datis, quippe qui omnem rationem, ob quam Heinrico Lupi a Capitulo Ecclesiae Fritzlariensis de beneficio prouidendum esset, ab obedientia, gratius regius debita, ac suis meti ipsius precibus repetit i). Sed ab

orani

sias competens indicat, nisi forte pro communi potius legi debeat particula quam, quae necessario, salvo licet adiectivo communis, inservenda est, adeo, ut procurrat oratio: quam) antiqua et dudum approbata consuetudine a prefatis Romanorum regibus predecessoribus nostris diu cius obseruata nobis competit singulis collatoribus collatricibus Collegiis Capitulis vel Conuentibus per sacrum Romanum Imperium ubilibet constitutis pro beneficio Ecclesiastico cum cura vel sine cura — pro singulis personis benemeritis et habilibus preces sine nominationes primariae dirigere effectualiter et integraliter receptas et admissas recipiendas et admittendas. Idcirco prefatorum predecessorum nostrorum felicia capientes continuare vestigia devocationibus vestris pro — Iohanne de Blisia clericlo Leodiensi Diocesis Baccalaria in artibus primariae nostras offerimus preces easdem devocationes vestras hortantes volisque per huc nostra regalia scripta distincte precipiennes quatenus contemplacione iurium obseruanciarum et consuetudinum nec non ob precum nostrarum huiusmodi reuerenciam singularem ipsum Iohannem ad beneficium ecclesiasticum — quod ipse per se vel procuratorem suum duxerit acceptandum praesentis aut hoc ipsum sibi conferaris — omni cessante impedimento integraliter et cum esse-

et circa premissa taliter agendo quantum ad iurium privilegiorum libertatum et gratiarum quibus deuociones vestre a Romanorum Principibus nostris antecessoribus insignite sunt manuentionem nostra sublimitas vigilans inuiterur, omni causa exclusa per quam veluti Imperialium et Regalium iurium obseruanciarum et consuetudinum violatores deuociones vestre possint quomodolibet improbari. — —

i) Leguntur in Theodorici Literis Executionis, omissis quibusdam particulis, haec: *Wir lassen uch wissen, das unser allergnädigster her der Romisch Kunig dem ersamen Heinrico Lupi Licentato in geistlichen rechten unfern diener — umb unfer bete willen sine Kunigliche primarias preses us uch und ufern stift ad Canonicatus et prebendas — gegeben und verliehen hat, nach uswifunge solicher Kuniglichen briize, so darob derselbe heinriech ader sine procuratores von sinen wegen uch furkrenge und insinuiren werden. Wane ire nu us solidchen brieven wol versteent, das — der Kunig vorgenant uns dem — heinrico pro execuore geben und uns bevollen hat, ime darzu forderlich zu sin — hirumb so bevolen wir uch den — heinricum mit ganzem siis und ernste frunlich bittende, das ir in umb uns fers*

omni sane verisimilitudine abhorret, Fridericum per priores regiminis sui annos nonnisi quatuor preces primarias ad Ecclesias direxit. Atqui qui eodem tempore ius precum ab Imperatore crebrius exercitum esse concedit, num, reliquas quoque preces aequae, ac quatuor illas species, absque vsu Decreti Basileensis datas esse, simpliciter afficitur? Quodsi autem usum Decreti non omnino negat, de emolumen- tis ad Imperatorem ex eo redundantibus haud aliunde iudicabit, quam ex euentu, quem ipsae preces habuerunt, et ex emolumentis, quae gratiae Imperatoris Preciosis suppeditarunt. Sed latentibus documentis latet etiam omnis precum primiarum exitus. Num igitur Decretum Friderico III., numque gratiae ipsius Preciosis hactenus profuerint, puro saltu ea de re arbitrio abstinebimus,

§. XX.

*II. post Indultum papalem
et rursus*

*I. de Indultis Pontificum Romanorum et ipsis precum Friderici III.
fatis.*

At enim vero nostrum de usu Decreti Basileensis iudicium, quod hactenus, si non in medio penitus suspendebatur, admodum tam fluctuabat, ipso momento, quo narratio de precibus Friderici prima riis ab anno MCCCCLI. ulterius progreditur, vel inuiti ita formabimur, ut ab hoc inde tempore omnem eiusdem Decreti usum in desuetudinem abiisse pronuntiemus. Nam Fridericus, qui, historia magistra,

fers herren des Kuniges grude und
unser filssiger bete willen zu der
Schierst verledigeten pbrunde in auer
Kirchen — gunfllich fur eynen igli-
chen andern zulassen und keinen intru-

sum geben wollen, daran erzeigt ir—
dem Kunige billiche und dangere
gehörlamkeit und ere und uns soli-
chen danguenen willen.

magistra, pacem cum Pontifice Romano otiosam prae iurium, sibi metipsi et Ecclesiae Germanicae antiquitus quaeſitorum, patrocinio strenuo amabat, preces suas indulgentiae pontificiae, quam antiquae et a Patribus Concilii Basileensis agnitaſe consuetudinis ope, vt videbatur, sustentare malebat. Expetebat ſibi INDVLTVM Pontificis, ſive ex interpretatione Curiae Romanae, conſeſſionem precum primariarum ad Eccleſias Imperii porrigendarum, et impetrabat INDVLTA papalia, ſive Literas, quibus Pontifices, vti eloquebantur, facultatem dandarum precum primariarum largiebantur. Eccleſia Romana, iurium, quae merito Imperatoris lucrata fuerat, eximiorum aliquamdiu memor, grata liberalitate donabat eidem Imperatori praerogatiuſas, quas vel ipſe iam tenebat vel collatores beneficiorum ordinarii proprias habebant. Commemorat Sixtus IV. in ſuo Indulſto iugem in Sanctam Apostolicam ſedem obſeruanciam et veneracionem excelfarumque virtutum flagranciam, quibus Fridericus ſeſe ipſi et apostolice ſedi grantum, obſequioſum atque acceptum prebuit. Sed inſuper etiam apud archa mentis ſue digne reuolut, quod Eugenius quartus, Nicolaus quintus, Calixtus, Pius et Paulus, Anteceſſores ſummi Pontifices, Imperatoris celſitudinem primariarum precum facultate plurimiſque nominationum indultis, que iam dudum expirarunt, atque alii largiſtis apostolice ſedi muneribus habunde decorarunt^{k)}. Dupliſi igitur Indulſtorum papalium genere Fridericus instruebatur. Alteri debebat nominationes, alteri precum primariarum, vt dicebatur, facultatem. De illo, quo nominationes, a precibus primariis alioquin longe diuersae, permittebantur, infra, de hoc, quod ipſas preces primariaſe concernebat, hic ſlatim sermo erit.

Duo

k) Vid. hoc Sixti IV. Indulſtum de Codic. probat. Adiunct, XXXVIII. p. anno 1473. apud SENKENBERG in 41. seq.
Tractat. de iure primarum precum.

Duo autem Indulta Fridericus a Nicolao V. accepit, quorum utroque iuris precum primiarum facies transformabatur, sed ita tamen, ut prius per posterius paullulum corrigeretur. Indulti prioris, quod Romae XIV. Kalendas Aprilis anno MCCCCLI. datum est, momenta primaria modo ad causam, ob quam Indultum concedebatur, modo ad collatores ordinarios, ad quos preces primariae dirigi possent, modo ad beneficia, quae precibus subessent, modo ad effectum precum porrectarum, modo denique ad formam et officia redibant, quae a Precisis et Executoribus vigilanti cum solertia essent obseruanda. Causa Indulti quae esset, Nicolaus V. mox sub initium explicabat. *Supplicanti enim Imperatori sese referebat ideo indulgere, vt ille ope auctoritatis Apostolicae bene meritis in exhibitione gratiarum munificum se reddere posset.* Iam consuetudo antiqua ita comparata fuerat, vt preces primariae ad quoslibet cuiusvis dignitatis et ordinis collatores ordinarios, quos Imperium continebat, dari solerent. Sed exceperant Patres Concilii Basileensis in Decreto suo eos collatores, quibus nonnisi de quinque beneficiis disponendi copia esset¹⁾. Similem exceptionem, quamquam paullo restrictiorem, adiiciebat Nicolaus V., vt pote qui eos tantum collatores precibus Imperatoris obstringi volebat, qui *saltem quatuor beneficia conferendi potestate gauderent*^{m)}. Ipsa vero beneficia, ad quae Precisis imperialibus ante annum MCCCCLI. adspirare licuerat,

1) Vid. Specimen II. §. XVII. p. 40.

m) Cum ergo haec exceptio ad exemplum Decreti Basileensis addita esset, et exceptio eiusdem Decreti in favorem Imperatoris ad arciores limites redigeretur; DE LYNKER

D

rat, in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis et Conuentualibus censebantur esse omnis generis Praebendae, Canonicatus, Officia, Personatus et Dignitates, quibus Praebendae adhaerebant^{a)}). Atqui horum beneficiorum, cuiuscunque Ecclesiae essent, collationem Pontifices Clemens IV., Gregorius X., Bonifacius VIII., Iohannes XXII., Benedictus XII. et Nicolaus V. dudum sibi reseruauerant, quotiescumque ad Sedem Apostolicam sive in Curia Romana, aut ex dimissione, privatione, translatione et renuntiatione Pontificum auctoritate facta, nec non ex neglecta electionum apud Sedem Romanam presentatione, ex electione a Papa pro irrita declarata, et in personis eorum, qui auctoritate pontifica promoti vel beneficiis, per literas papales immediate collata, pacifice assediti essent, aut iam vacassent aut olim vacatura essent^{b)}). Ad huiusmodi referuationes, quae vocabantur generales, alia insuper accedebat referatio generalis, quae titulo deuolutionis

^{a)} Sic enim Wenceslaus in Diplo. mate, quo preces primarias, suo nomine intra Dioeceses Wormatiensem et Spirensim dirigendas, Ruperto, Comiti Palatino, mandauit, quodque in Specimine II. § XVI. tractatum est, inter alia praecepit omnibus, ad quos canoniciatum et praebendarum, dignitatum, personarum et officiorum seu beneficiorum collatio, presentatio seu receptio pertinere, vt preces a Ruperto dandas admitterent. Sic porro Patres Concilii Basileensis in Decreto suo, vt in Specimine II. not. a) p. 41. videre licet, confituerunt, vt Precistae imperiales in singulis Ecclesiis, Collegiorum et Conuentuum ad vincum beneficium ecclesia. sticum cum cura vel sine cura, etiam si. canoniciatus, vel praebenda in Cathedrali, etiam Metropolitanana vel collegiata Ecclesia fuerit, reciperentur.

Sic denique Fridericus in Literis precum de anno 1442., supra § XIX. et ibidem not. f) commemoratis, competrere sibi dicebat ius dirigendi preces pro beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, etiam si canoniciatus vel praebenda in Metropolitanana, Cathedrali vel Collegiatis Ecclesiis foret.

^{b)} Conferantur c. 2. 3. et 34. de Praebendis et Dignitatibus in Vito. Extravag. c. vnic. de Praebend. et Dignitat. et Extravag. commun. c. 4. de Praebend. et Dignitat, nec non Concordat. Nationis Germanicae apud WÜRDWEIN. Subsid. Diplomat. Tom. IX. N. IX. p. 78. seqq. et KOCHIVM in Sylloge Documentorum. N. XIV. que addita est EIVSDEM Sanctioni Pragmaticae Germanorum illustrata.

tionis innitebatur, et anno MCLXXIX. primas egerat radices. Illo enim anno ^{p)} Concilium Lateranense sub auspiciis Alexandri III. celebratum et inter alia decretum est, vt collatio beneficiorum ecclesiasticorum minorum, de quibus postquam vacassent, a collatoribus ordinariis intra sex measēs haud prouisum esset, ad Superiores, quibus illi proxime subessent, ideoque, ne his quidem iure suo intra novum semestre potitis aut collatoribus ordinariis iurisdictioni papali immediate subieclis, ad Pontifices Romanos deuolueretur. ^{q)} Praeterea in morem sensim venerat, vt dignitates ecclesiasticae minores, quae eligendo conferebantur, quarumque numero Praepositurae, Decanatus, Officia Scholasticorum, et sic porro, comprehendebantur, peculiari nomine *dignitatum post Pontificalem maiorum*, si in Ecclesiis Cathedralibus, et *dignitatum principalium insignirentur*, si in Ecclesiis Collegiatis locum tenerent. Eadem dignitates in Concordatis Nationis Germanicae, quibus de collatione beneficiorum Ecclesiae Germanicae cum Pontifice Romano communicanda transigebatur, a resumptionibus papalibus pariter ac ab alternatione mensium, prout Kochius luculenter demonstrauit ^{r)}, eximebantur, pristinaeque collatorum ordinariorum prouisioni saluae praestabantur. Enimvero paucis hebdomadibus post inita Concordata collatores ordinarii has quoque iuris sui reliquias exiles citra culpam suam perditum ibant. Verba namque, quibus de dignitatibus illis conuentum fuerat, in Bulla Nicolai V., Concordatorum confirmandorum causa data ^{s)}, vicio

D 2

Scribae

p) EMAN. GONZALEZ TELLEZ Commentar. in V. Libros Decretalium Gregorii IX. Tom. I. Liber Decretal. I. Tit. VI. de Elepcion. et Electione. Et potest. cap. VI. not. a. p. 227.

q) c. 2. 6. et 15. X. de concessione praebendae; c. 8. X. de Constitu-

tionibus, et c. 3. X. de supplenda negligientia Praelator.

r) Videatur EIVSDEM Sanctio Pragmatica Germanor. et ibidem Sylloge Documentor. N. XIV. not 53.) p. 223. seqq.

s) Apud KOCHIVM loc. laud. in Sylloge Documentor. N. XV,

Scribae an consulto, incertum, ita reddebantur, ut in contrarium sensum detorquerentur, ipsorumque dignitatum collatio soli Pontifici reseruaretur. Neque priorem interpretationem posthac secuti sunt AENEAS SYLVIVS, Concordatorum auctor, et, qui Ecclesiae Romanae praeerant, Sixtus IV. Piusque IV. AENEAS quippe SYLVIVS scribere haud veritus est Martino Mayero, Cancellario Moguntino: Nam Concordata ipsa dignitates primas post pontificales et in collegiatis ecclesiis principales apostolicae sedis dispositioni permittunt^{v)}. Sixtus autem IV. existimans, Decanatum et Officium Scholastici Ecclesiae Maioris Spirensis alternationi mensium, et Praeposituram eiusdem Ecclesiae reseruationi et gratiis expectatiis Paparum subesse, liberam propterea Decani, Scholastici^{x)} et Praepositi^{y)} electionem Capitulo Spirensi indulxit. Ac Pius denique IV. concessit Archiepiscopo et Capitulo Ecclesiae Metropolitanae Moguntinae libertatem conferendi Praeposituram, quam et ipsam arbitratus fuerat mensium alternatione comprehendi^{y)}. Cum igitur hac triplici ratione prouisio pontificalia tanta cepisset incrementa, neque vnuquam Praefules Ecclesiae Romanae

^{v)} In Literis ad Martinum Mayerum de anno 1457., quae est Epistola CCCLXIX. p. 836. seqq. Operum AENEAE SYLVI ex edit. Basili. de anno 1571. Idem statuit AENEAS SYLVIVS in Epistola CGCXXXVIII. p. 823, eodem anno 1457. ipsi illi Martino Mayero scribens: Et quamvis nemo imputare posse, se sua Sanctitas (Calixtus III.) dignitates principales in collegiatis ecclesiis suis primas post pontificales reseruauerit, neque enim Concordata in hoc aduersantur, non tamen inuenientur facile reseruationes beneficiorum, nisi pro Cardinalibus aut aliquibus fortasse maximis viris ab eadem Sanctitate emanasse.

^{x)} Diploma, quod V. Kalend. Decembris anno 1477. datum est, exhibetur a WÜRDWEINIO Subsid. Diplomatic. Tom. IX. N. XL. p. 213;

^{y)} Diploma anno 1481. prid. Kal. Iulii datum extat apud WÜRDWEINIVM Subsid. Diplomatic. Tom. IX. N. XXXIX.

^{y)} Vtramque et concessionem et opinionem testatus est Pius IV. in Literis ad Imperatorem Ferdinandum I. Anno 1562. datis, quae extant apud KOCHIVM in Sanct. Pragmat. Ger- manor. et ibi in Sylloge Documentorum. N. XXVII.

nae emolumenta, quoconque modo sibi comparata, diminui paterentur; mirandum non erat, quod Nicolaus V. in Indulto suo cuncta illa beneficia a precibus etiam primariis Friderici III. exenta esse declararet. Vetus autem, ne preces primariae darentur vel ad *beneficia dispositioni Apostolicae in genere reseruata*, vel ad ea, quorum collatio iuxta Lateranensis Concilii Statuta ad sedem Apostolicam legitime devoluta esset, vel ad dignitates, quae in Ecclesiis Cathedralibus post Pontificalem maiores aut in Ecclesiis Collegiatis principales essent. Ac ne litia de beneficiis, de quibus iam penderet lis indecisa, per preces imperiales accrescerent, ea Pontifex simul, etiam si numero exemptorum beneficiorum haud censerentur, a Precistis acceptari noluit. Preces autem, quas Imperator ad reliqua beneficia porrecturus esset, ut eum, quem optaret, esse etum nanciscerentur, Nicolaus V. non solum omnes cuiusvis dignitatis et ordinis collatores ordinarios voluntati Imperatoris parere iubebat, sed omnibus etiam qualiscunque dignitatibus, quos Imperator executores nominasset, preces prouida cura exequendas iniungebat. Verum nec saluti Ecclesiarum nec suaemet ipsius utilitati satis adhuc prospexit videbatur, nisi simul formam et officia praescriberet, quibus cum Precistae tum Executores satisfacerent. Proinde praecepiebat, ut modo preces primariae ad rationem Indulitorum, quae Pontifices super beneficiis ecclesiasticis conferendis concessissent vel olim concessuri essent, collatoribus ordinariis publicarentur; modo Precistae, ab Executoribus diligenter examinati ^{a)}, beneficia vacantia intra mensem ^{a)}, postquam vacationem cognouissent,

D 3

acce-

^{a)} Precistas, num idonei essent, examine tentari, moris iam ante Indulatum Nicolai V. erat usitati. Vnde et Patres Concilii Basileensis Precistas, qui gradu, quem dicunt, academico carerent, examinari voluerant, antequam ad beneficia ecclesia-

stica admitterentur. Vid. Specimen II. §. XVII. not. a) p. 41.

^{a)} Quod spatium acceptationis itidem pristini erat instituti, et propterea, ut supra monitum iam est, in Decreto Concilii Basileensis denuo repetitum.

acceptarent; modo acceptatio et prouisio subsecuta eodem modo et tempore, cui publicatio acceptationis et prouisionis, virtute gratiarum papalium impetratae, ex Constitutione Nicolai V. adstricta esset, promulgarentur; modo denique in securitatem Annatarum, ad fiscum Pontificis redigendarum, Collectores seu Subcollectores fructuum, qui Camere Apostolicae deberentur, ab Executoribus de nominibus et cognominibus Precistarum, quibus beneficia collata essent, deque collationum diebus absque mora certiores redderentur^{b)}.

Quae

b) Primum hoc Indultum Nicolai V. integrum exhibetur a LÜNIGIO Tom. I. Spicileg. Ecclesiast. Cap. I. N. CLXX. p. 337; a MOSERO Teutsch. Staatsrechte, Tom. III. Lib. II. cap. XXXI. §. 7. p. 334; ab AYRERO in Commentatione: *Ius primariarum precum. Appendix. Documentor. N. VI.* et a WÜRTWEINIO Subsid. Diplomatic. Tom. II. XV. p. 57., ex quo epitomen verborum, quorum argumentum supra recentui, hue transcribere, a re non erit alienum. Est igitur haec: *Digna consideratione fidelitatis et devotionis tuae merita — intra nostras mentes perstringentes interna, congruere, ut eadem ecclesia, cuius te fidelem Aduocatum devouisti, et a qua — vincionem victorie in Imperiale diadema nostro ministerio suscipere meruisti, omnis favoris prosequaris impendiis, et nos ea tibi favorabiliter concedamus, — per que bene meritis te munificam reddere possis ope auctoritatis Apostolicae in exhibitione gratiarum. Hinc est, quod nos supplicationibus inclinati, eidem celsitudini tuae — concedimus et indulgemus, quod si per te quibusvis collatoribus sue collatricibus quorumlibet beneficiorum ecclesiastico*

rum — per sacrum Romanum. Imperium ubilibet constitutis, etiam si qui, vel si quae ex illis pontificali vel alia quavis dignitate praefulgeant — super singulis beneficiis Ecclesiastris — in singulis Cathedralibus, etiam Metropolitanis, Collegiatis, vel aliis quibusve Ecclesiis, etiam si beneficia huiusmodi Canonicatus et praebendae, aut dignitatis, personatus, administraciones, vel officia huiusmodi in Cathedralibus, Metropolitanis, vel Collegiatis, et ipsae praebendae in illis ex huiusmodi Ecclesiis, in quibus maiores et minores praebendae fore nosuntur, etiam maiores fuerint, et ad dignitates, personatus, administraciones, vel officia huiusmodi consueverint qui per electionem assimi, et que cura imminet animarum, dummodo dignitates quippe ipsae in Cathedralibus et Metropolitanis post pontificales maiores, aut in Collegiatis Ecclesiis huiusmodi principales non existant — singulis personis — conferendis; seu super hoc, quod personae huiusmodi ad illa recipiantur et admittantur, preces porrigit, sive de personis eisdem ad huiusmodi beneficia nominationes fieri congerit primarias, idem collatores et collatrices, salvo quod — ipsi colla-

Quae quidem omnia Indulti momenta si ad primaeuam precum primariarum indeolem et ad consilium, quo Nicolaus V. Indultum a se dari prohibebat, contulerit; sponte animaduertes, ius Imperatoris liberum subiisse conditionem seruilem, opeque auctoritatis Apostolicae vincula, quibus antea constringebatur, arctius contracta esse. Praeterquam enim, quod Precistis aditus ad varii generis beneficia nominatum

collatores et collatrices sicutem quatuor beneficia ecclesiastica conferre habeant, huiusmodi precibus et nominationibus parere et intendere, nec non personas ipsas ad huiusmodi beneficia, postquam ipsis de illis canonice preuisum fuerit, iuxta earundem precum seriem recipere et admittere debent et etiam teneantur; quodque quicunque in quibusu dignitaribus constituti, seu ecclesiarum Cathedralium Canonici, singuli videlicet ex illis, quos pro singulis personis praedicti precam et nominationum huiusmodi, et ad hoc ut illae suam sortiantur effectum, etiam praesentium Executores depuraveris per se vel alium, seu alios beneficia praedicta, cum in quibusvis mensibus vacauerint, et quae personae, pro quibus preces sunt nominationes huiusmodi factae fuerint, quatenus huiusmodi preces ad illa si extendantur, post publicationem ipsorum precum, siue nominationum eo modo, quo etiam alia induita super Ecclesiasticis beneficiis confrendis quibusvis personis concessa, vel concedenda publicori volumus, facienda infra mensim, postquam ipsis vacatio beneficiorum huiusmodi invenerit, duxerint acceptanda, dummodo eadem personae, nisi Apostolicae sedis officialis, vel cum rigore examinis in aliquo licita facultate graduati sint, ad obtinendum beneficia huiusmodi per diligenter examinationem Executorum praedi-

ctorum — reperi fuerint idonei; et ipsa beneficia dispositioni Apostolicae generaliter reservata non sine ipso rurique collario, iuxta lazeranensem statuta Concilii ad sedem praedictam legitime denatura; neque super illis inter aliquos lis pendeat inactia ecc. non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, nec non aliis Ecclesiarum ecc. Volumus autem, quod Executores praedicti de nominibus et cognominibus personarum, quibus dicta beneficia per eos conferre contigerit, ac de diebus collationis huiusmodi generales Cameræ Apostolicae aut collectores, seu subcoletores fructuum eidem cameræ debitorum in partibus illis depositatos pro tempore quanto civis certificare procurent; quaque acceptationes ac prouisiones, quas precum et nominationum primariarum, ac praesentium vigore fieri contigerit, ad instar publicationum, quas de acceptationibus et prouisionibus vigore gratiarum expectacionum personas concessionis factae fuerint, faciendo iuxta quandam constitutionem nostram super hoc editam infra tempus in eadem constitutione expressum, et sub poenis in ea per nos adiecis debent publicari — Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominiæ millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo, quarto decimo Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri anno sexto.

natum excepta occludebatur, ex ipso Indulto ingens recentium impen-
dimentorum copia exsurgebat. Primum namque Nicolaus V., Indul-
to nondum concesso, constituerat, vt, si quae concessiones et Literae,
quas ipse alicui, cuiuscunque conditionis et dignitatis is esset, vel
hactenus dedisset vel olim datus esset, in detrimentum Expectati-
varum Pontificis specialium, aut Reservationum aut aliarum Gratia-
rum beneficia conceruentium vergerent, illae omnes in Cathedrali-
bus Ecclesis coram testibus et Notario solemniter publicarentur. Cum
igitur ad id genus concessionum Indulatum quoque pertineret, pre-
cum primariarum Indulti auctoritate dandarum publicationem ad eius-
dem Constitutionis normam fieri Nicolaus iubebat. At accidebat for-
tasse, vt forma ista, antea prorsus inusitata, negligeretur, ac propte-
rea spes Precistarum caderet inanis. Alia rursus in vulgus prodierat
Nicolai sanctio, qua praecipiebatur, vt beneficiorum acceptatio pro-
visioque, titulo Gratiarum Pontificis subnixae, intra tres menses pro-
mulgarentur. Hanc legem Nicolaus in Indulto ad preces caesareas
extendebat, ita, vt acceptationi et prouisioni Precistarum indueret for-
mam a iure precum primariarum alienam. Sed forte nec ipsa vel
ideo, quod a more pristino recedebat, vbiuis rite obseruabatur. Ex-
tabat praeterea Constitutio, ne quis, pluribus Gratiis impetratis earum-
que una consumta, reliquis amplius frueretur, adeo, vt Precistae, qui
beneficium ex gratia papali iam consecuti essent, precibus, ab Impe-
ratore ex Indulto sibi datis, excidisse videantur. Extabant Literae,
quibus Nicolaus V. quaslibet Gratias, Facultates nominandi ac specia-
les Reservationes reuocauerat, quatenus ad beneficia spectarent, quo-
rum prouisio vel ex Concordatis Nationis Germanicae, vel ex Indulitis
ac Facultatibus peculiaribus penes collatores ordinarios esset. Vte-
bantur passim Ecclesiae Sanctione, Statutis et Consuetudinibus, per
quae in aliis dignitates, praebenda et alia beneficia nonnisi optando
conferebantur precibusque caesareis nominatim adeo derogabatur, in
aliis vero praebendae in maiores, medias et minores ea lege
distin-

distinguebantur, ut nemini, nisi qui iam præbenda minore vel media in iisdem Ecclesiis gauderet et resideret, ad medium aut maiorem adspirare et ab una ad alteram aliter, quam via optionis, ascendere liceret. Enimvero Nicolaus Indulto suo nec Constitutionem illam, nec Literas suas, nec Statuta, nec Consuetudines Ecclesiarum quoad preces primarias idonea ratione sustulerat, cum tamen precibus Imperatoris, Indulto papali munitis, collatorum ordinariorum saltēm opinione aduersari viderentur. Accedebat denique, quod Ecclesia germanicae Pontifici in Concordatis omnium beneficiorum minorum, intra sex menses quotannis vacaturorum, cesserant collationem. Verum nec his derogabat Nicolaus Indulto, quo preces Friderici primarias ad beneficia minora, quocunque demum mense vacantia, adiuvari volebat. Cum itaque post Indultum Nicolai perpetua Precistis mouerentur litigia, vel quia preces primariae et acceptatio prouisioque haud ita, vt praescriperat Nicolaus, publicatae fuerant, vel quia Precistae Gratiarum papalium titulo beneficium iam possidebant, vel quia collatores ordinarii ob Indulta Pontificum, ob Concordata Nationis Germanicae, ob immunitates a Curia papali concessas, aut ob Statuta et Consuetudines, quibuscum Indultum Nicolai pugnare existimabant, precibus Friderici obedire noluerant; altero porro opus videbatur Indulto, quo obſtacula, a Nicolao obſtructa, minuerentur penitusque remouerentur. Neque vero Nicolaus recusabat, quo minus querelas, quarum ipse auctor fuerat, iterum extingueret. Confirmauit enim nouo Indulto, quod anno MCCCCLIV. Friderico dedit, ius Precistarum imperialium præ iure cunctorum, qui, Cardinalibus tamen et aliis quibusdam exceptis, ad eadem beneficia concurrerent, praecipuum. Ac ne precistae in adipiscendis beneficiis aduersarios aliunde sibi obuios haberent, Pontifex non solum preces Imperatoris primarias ab omnium, quae paullo ante commemoratae sunt, Constitutionum, Literarum et Indultorum papalium Consuetudinumque et Statutorum

E

eccl.

ecclesiasticorum vinculo eximit, sed vim etiam Concordatorum, si quam in preces illas exserebant, dissoluit ^{c)}.

Resti-

c) Secundam Nicolai V. Indultum reprehenditur apud LÜNIGIVM Tom. I. Spicileg. Ecclesiastic. Cap. I. N. CLXXXII. p. 340; apud MOSE-RVM Tzutscb. Staatsrecht. Tom. II. Lib. II. Cap. XXXI. §. 8. p. 337. et apud WÜRDTWEIN Subsid. Diplomar. Tom. II. N. XVI. p. 61., ex quo rursus particulae Indulti, de quibus haec tenuis sermo potissimum fuit, cum lectore merito communicabuntur: Cum, sicut accepimus, pro eo, quod in — nostris — literis (Indulto primo) in effectu inter cetera voluimus primarias preces per — Imperatorem faciendas ad beneficium ecclesiastica se extenderet post publicationem ipsarum, eo modo, quo etiam alia indulta super ecclesiasticas beneficias conferendis quibusvis per nos concessa, vel concedenda publicari voluimus, faciendarum, voluimus etiam, quod acceptioriae et prouisiones, quas Precum, ac Literarum nostrarum (Indulti primi) vigore fieri contingere, ad instar publicationem, quae de acceptationibus et prouisionibus vigore gratiarum expeditiaruarum per nos concessarum factae forent, facienda iuxta quandam constitutionem nostram super hoc editam infra tempus in eadem constitutione expressum, et sub poemis in ea adiectis deberent publicari: pro eo quoque, quod licet in dictis — literis (Indulto primo) de aliquibus constitutionibus, — per quas ipsarum — Literarum effectus impediri posset, mentio facta fuerit, non tam de omnibus, nec talis exitit facta mentio, quod illis sit sufficenter derogatum;

nos quoque etiam post, et ante, quasdam constitutiones — edidimus, — ac nonnullas — gratias nominationes, seu nominandi vel conferendi beneficia facultates — seu alias speciales reservationes — aliasque concessiones, indulta et privilegia concessimus, per quacum, ut ab aliquibus assertur, — nostrarum literarum obtenta — primarias preces huiusmodi habentibus in affectione beneficiorum expresse praecuditum fuerit, — quamplures ex — habentibus Preces huiusmodi in affectione beneficiorum illarum vigore facienda impediti; quidam etiam diueris libris inuolui et fatigati exciterunt laboribus et expensis. — Nos non obstatibus praedictis, et quibusvis aliis contrariis in — nostris literis consentaneis clausulis, — etiam ab ipsarum literarum data, ac ex post nostrae intentionis fuit, prout et adhuc existit, quod — primarias Preces habentes huiusmodi omnibus et singulis aliis, — Cardinalibus ducibus et nonnullis aliis exceptis, in affectione quorumuis beneficiorum per eos vigore — precum et nostrarum — literarum — facienda praeferrerent et praef'erantur; quodque tam Imperator, quam — habentes Preces huiusmodi, ac desuper eis concessae Preces — ad cuiusvis constitutionis — per nos runc editae seu publicatae, vel in posterum edendae et publicandae, solennitatem, — formam, vel satisfactionem — minime tenentur, nec ipsae — Preces sub illis comprehendenterentur quoquomodo; ut, — sublatis quibusvis ambiguitatibus et litigiorum dispendiis, — pri-

mariae

Restituebat ergo Nicolaus V. conditionem iuris precum primarum paullo liberiorem; sed huius quoque fructus nonnisi admodum

E 2

exigui

mariae Preces huiusmodi suum et debitum sortianur effectum, prouidere volentes, — ex nostra mera deliberatione, et ex certa scientia nostrae intentionis fuisse, et auctor esse, — quod per quam sub ceteris inibi expressis potestis inter cetera voluntatis, quod singuli, postquam beneficia ecclasiastica vigore gratiarum expectatiuarum acceptassent, ex tunc infra unius mensis spatium eis de dictis beneficiis vite prorideti, ac subsequenter infra tres alios menses immediate sequentes acceptationes et provisiones huiusmodi certis locis, diebus et quibus inibi eriam expressis publicari, nec non infra annum similiter inibi expressum illas ac dictas publicationes ipsorum beneficiorum postfferibus, si qui tunc, aliquo quam primum forer, intimiri facere, — debent; ac alia, — qua — Praeciatiss., et aliis personis ecclasiasticis, ad quas dignitatum aliquorumque beneficiorum ecclasiasticorum collatio, prouisio, presentatio, electio, seu qualius alia dispositio pertinet, de quibusvis dignitatibus, personalibus, administrationalibus, officiis, canoniciatis et praebendis, — quae infra certum similiter tunc expressum tempus in Martii, Iunii, Septembri et Decembris mensibus vacare continget, — libere disponendi concessimus facultatem; — ac illa, per quam inter cetera ordinavimus, quod per nullas speciales reservationes et conferendi mandata ordinariis collatoribus, quoniam minus beneficia ad ipsorum collationem spectantia — libero conferre valerent, aliquod praeiudicium fieret; — et ea

eritam, — per quam — decrevimus, quod nullus vii ex gaudere posset plurimarum gratiarum, sed quod una consumpta reliqua omnes eo ipso effent — irritas; — nec non ipsa, qua per quasdam nostras literas omnes et singulas gratias, nominationes, nominandi seu conferendi facultates, ac speciales reservationes et conferendi mandata quoad beneficia in ordinariorum mensibus huiusmodi vacansia se extenderent, habentur per nos concessi, — reuocauimus; et illa, per quam — ordinavimus quod omnes et singulae concessiones et literae quibusvis personis, cuiuscumque status, aut dignitatis existentes, eriant regali, reginali, Archiepiscopali, Episcopali, vel Ducali praefulgerent dignitate, per nos editae seu concessae, aut in posterum edenda seu concedenda, per quas expectatiuarum speciationum, reservationum seu alienarum gratiarum beneficialium effectus in genere in quibusvis provinciis, dioecesis et ecclesiis quomodolibet impedirentur, in ipsorum locorum Cathedralibus ecclesiis coram testibus et notario — solemniter publicarentur; — — ac omnes et singulae aliae ordinaciones, constitutions et regulae in contrarium forsitan per nos habentur editae et publicatae, seu in posterum edenda et publicanda, omnes quoque et singulae expectatiuae gratiae, nominationes, nominandi seu conferendi beneficia facultates, — — et quod in ecclesiis, in quibus maiores, mediae et minores, aut aliae praebendae existunt, et eis quarum Ecclesiarum statutis et consuetudinibus ad maiores praebeantur.

exiguī ad Imperatorem redibant. Nicolao enim vita sua aliquot mensibus post defuncto, vires vtriusque Indulti simul exspirabant. Neque vero dubium est, quin Imperator, Friderico constantior, praematuram Indultorum iacturam hilari potius, quam tristi animo tulisset. At verebatur Fridericus ad tramitem, de quo sese deflexerat, denuo reuerti. Nam in Ecclesiam Romanam cum totus propensus esset, Praesulem etiam, qui recens electus fuerat, Calixtum III., certum firmumque sibi adiutorem fore confidebat. Et, spredo Pontificis ad miniculō, metuebat, ne ipsum a se offendum collatoribus, quorum causam antea deseruerat, adscisceret propugnatorem. Cupiebat igitur tertio Indulto potiri; et, quod adpetebat, anno MCCCCLV. conseqebaratur. Confirmabat autem Calixtus III. duo Nicolai Indulta eo quidem animo, vt, quae Nicolaus Friderico ex mera deliberatione et ex certa scientia concasserat, mera sua liberalitate et de certa sua scientia sui ministerii opitulatione integra seruaret. Ac videbatur sane non modo priorum Indultorum integratati multum prospicere, verum etiam antecessorem suum fauore erga Imperatorem superare. Etenim Indulta illa pariter atque suum vitio purgabat sub - et obreptionis, quod

praebendas quis nonnisi gradatim, et per optionem ac etiam in illis personaliter residens posset, seu confueuisse extenderet, nullus vigore expectatiuarum, seu quarumcunque aliarum graziarum a nobis — concessarum, — ad alkam, et maioribus praebendis huiusmodi recipi et admirri, et ius in eis quacri posset, nisi tempore vacationis maioris praebendae ipsius ecclesiae Canoniciatus, maiori vel media praebendatu praebendatus existeret, et apud ipsam ecclesiam effectualem — residentiam faceret personalem, et de minoribus ad medias, ac de mediis ad maiores praebendas huiusmodi illius Canonici grada-

tim et per optionem ascenderent, — ac quaevis alia indulta, concessiones, et literae etiam confirmationis concordatorum nationis Germaniae per nos — concessa, — ipsa quoque concordata, nec non ecclesiarum de operando illarum praebendas, dignitates, seu alia beneficia statuta et conueniades — cum quibuscumque clausulis etiam talibus, per quas nominatio — ipsi — primarias preces habentibus — derogatur. — Datum Romae apud Sanctum Petrum. Anno Incarnationis Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo quarto, decimo Kalend. Octobris.

quod collatores ordinarii Friderico eiusque Preciosis procul dubio exprobrauerant, et, ne porro exprobrarent, caendum erat. Preciosis vero, quos Nicolaus Cardinalibus et aliis nonnullis, ad eadem beneficia ecclesiastica concurrentibus, cedere iusserat, Calixtus ius fortius decernebat, quo quemcunque, qui Cardinalium dignitate haud eminerebat, etiam si in Curia Romana praesens esset eamue per sex menses quereretur ^{d)}, exceptionibus Constitutionum Regularumque papalium et Concordatorum Nationis Germanicae reiectis, perpetuo vicerent ^{e)}.

E 3

Iann

d) Eos enim, qui Curiam Romanam per sex menses secuti erant, in consequendis beneficiis ecclesiasticis sive potiori gauislo esse, ex Sixti IV. Indulito appetat, quod reperitur apud SENKENBERG. in Tractat. de iure primarum precum. Codic Probation. Adiunct. XXXVIII. p. 44.

e) Calixti III. Indulmum fugit apud LÜNING. Tom I. Spicileg. Ecclesiastic. Cap. I. N. CLXXXII. p. 343; apud MOSER. Teutob. Staatsrecht. Tom. II. Lib. II. Cap. XXXI. §. 9. p. 341; apud AYRERVM in Commentatione Insprimariarum precum. Appendic. Documentor. N. VII; et apud WÜRTWEINIVM Sulfida. Diplomatic. Tom. II N. XVII; unde iterum verba, quae ad rem faciunt, recte transferentur. Eximiae, qua — Fredericum, Romanorum Imperatorem, — erga nos et Apostolicam sedem clare cognouimus. devotionis effectum intra nostra mensis arcuum digne reuoluenses, — nostri partes officii libenzer extendimus, — ut ea, quae per sedem Apostolicam Imperatorem, — gratiose

fuerint concessa, sublatu quoquis dubio super illorum intellectu, nostri opitulatione ministerii in sui roboris integritate scruntur. — Nos igitur — cupientes, ut tam priores quam posteriores — praedecessoris literae, nec non primariae preces, quas idem Imperator pro quibusvis personis hactenus porrigit, aut porrigit in futuram, semper omnium dubitationum obseculis, suum debitum consequantur effectum, — omnia et singula tam prioribus, quam — posterioribus — praedecessoris literis, ac etiam primariis precibus huiusmodi conenta — mera liberalitate et de certa nostra scientia approbamus. — ex confirmamus, — et indulgemus — declarantes, tam — Nicolai praedecessoris prædictas, quam nostras huiusmodi literas nullatenus de subceptionis vel abceptionis virio norari potuisse vel debuisse, aut posse vel debere quoquo modo. — Volentes, quod personae, pro quibus pres huiusmodi sunt porrectae, seu porrigitur in futurum, in affectione beneficiorum huiusmodi in quibusvis tam Apostolicis quam ordinaris mensibus, in quadam constitutione per nos

Iam Friderico adhuc imperante quatuor Pontifices Calixtum III. subsequebantur, Pius II., Paulus II., Sixtus IV. et Innocentius VIII. Num vero et hi ad imitationem Nicolai V. et Calixti III. noua dederint Indulta, an saltem priora confirmingo renouauerint, literis Indultorum nondum repertis nec a teste fide digno notatis, pro incerto habendum. Nam eti Indultorum usus nec ab inde Friderici, nec a necessitudine, quae ipsis cum quatuor illis Pontificibus intercedebat, nec a temporum ratione abhorrebat; mirari tamen licet, Innocentium VIII. in Indulso, quod Romanorum Regi Maximiliano, Friderici filio, concedebat, sola Nicolai V. et Calixti III. Indulta nominasse, Pii vero II., Pauli II. et Sixti IV., iusta licet ipsorum Indulta simul recensendi occasione oblata, nullam omnino inieclisse mentionem f). Adiunxit quidem L. B. DE SENKENBERG Documentis a patre collectis Literas, quibus Pius II. omnia Priuilegia, Indulgencias, Gratias, Concessiones et Indulta confirmauit, quae Fridericus Nicolao V. accepta

retu.

nos edira, ac Principum Nationis germaniae concordatis, et ipsis praedecessoris eorundem concordatorum confirmatoriis literis expressis pro tempore vacantium omnibus alius cuiuscunque dignitatis, status, gradus, vel conditio-
nis fuerint; etiam praesentibus in Ro-
mana Curia, et illam iuxta constitutio-
nem per nos editam sequentibus, ac no-
stris veris familiaribus, domesticis con-
tinuis commensalibus in certo libro
Cancellariae nostrae descriptis, — ac
caeteris quibuscumque praeterquam per-
sonis — Cardinalium praefterantur —
— Et quod tam Imperator, quam
habentes preces huiusmodi ac desper eis
concessae preces et literae ad cuiusvis
constitutionis, ordinatiois seu regulae
per nos editae vel publicarae, seu in po-
sterum edendae vel publicandae, solemini-

tatem, restrictionem, formam — seu
obscuriam minime tenentur, nec
ipsae preces sub illis comprehendantur
— constitutionibus, ordinationibus,
literisque reuocatoriorum et praecjudiciorum
tam per — Nicolaum praedecessorem,
quam nos editis, factis vel concisis, aut
edendis, faciendis vel concedendis, ac
nationis germanicae concordatis, et lite-
ris eorundem confirmatoris praeditis
in hac parte penitus reicitur. — —
Datum Roniae apud sanctum Perrum
anno incarnationis Dominicae millesi-
mo quaerungenseimo quinquagesimo
quinto, Kalend. Octobris, Pontificatus
nostrri anno primo.

f) Inferuit Indulsum Innocentii
VIII. WÜRTWEINIVS Subsid. Dë-
plomat. Tom. II. N. XXI. p. 88.

retulerat. Verum Indulta, quae ibi commemorantur, ab Indultis preces primarias concernentibus longe recedebant. Confirmabantur enim et approbabantur ita, ut partim effectus ipsorum ad heredes de corpore Friderici descendentes extenderetur, partim usus eorundem ad forum conscientiae restringeretur^{g).} Quae igitur extensio et restrictio cum in preces primarias neutquam caderent, cumque Indultorum, super iure precum imperialium post Literas Pii II. datorum, nulla in notitiam Eruditorum hucusque peruererint; ipsa breuiter iam referenda erunt fata, quae preces Friderici III. primariae post primum Nicolai V. Indultum, ideoque inde ab anno MCCCCLI. subierunt.

§. XXI.

Scilicet preces Imperatoris primarias, Pontifice in partem vocato, frequentissimas fuisse, par est opinari. Sed tria tantum obvia habemus precum exempla, eorumque nonnisi duo genuina. GRIBNERVS enim contra OLIGENIVM, Indultorum patronum vehementissimum, disputans, Fridericum III. ait aduersus Ecclesiae Cathedralis Spirensis Praepositum, cum literis praesentationis haud pareret, mandata et citationes per Iudicium camerale decreuisse, illumque tandem banno constringisse^{b).} Literas itaque praesentationis, quas commemorat, easdem fuisse existimat, quas precum primiarum literas vocant. Enimuero tradit PHILIPPVS SIMONIS^{i),} fundatas olim esse in Ecclesia Cathedrali Spirensi praebendas, quarum possessores, vulgo Stulbrüder, laicae conditionis essent, et cultui diuino ad altaria et in

g) In Tractat. de iure primarum bus imperialibus sine Pontificis indulta precum. Codic. Probat. Adiunet. validis. §. XXII. p. 33.
XXXVIII^b. p. 52.

h) In Diffreat. de primariis preci- i) Historische Beschreibung aller Bis- schaffen zu Speyr, in Praefat. p. 2.

in facillis ministrando seruirent. Inter hos Fridericus III. anno MCCCCLXV., quemadmodum LEHMANNVS refert ^{k)}, recipiendum mandauit Petrum Schreyerum, ciuem Spirensem, quem Senatus ciuitatis, Praeposito refragante, caesarea auctoritate in possessionem praebendae, re tamen male cedente, mittebat. Prōinde cum Schreyerus laicus ad praebendam, quae Laicis conferri et voce vernacula Stulpfriūde denotari solebat, a Friderico praesentatus esset, hinc autem manifesto appareat, Literas, ab Imperatore in gratiam Schreyeri datas, non preces primarias, verum potius Literas fuisse, quas dicimus alimentarias, Panisbriefe; eae ut tanquam spurium precum primiarum exemplum mittantur, diuersitas argumenti suadet. Duo autem, quae superfunt, exempla genuina euincunt, preces imperiales Indultis modo parum, modo ne minimum quidem accommodatas esse. Alterum est exemplum precum pro Bertholdo de Medhem ad Ecclesiam Frideslariensem datarum; alterum vero exemplum precum, quas Imperator Sixto Scharfennegkhero, Secretario suo, ad Ioannem Episcopum Cameracensem concessit. Preces priores, quarum Literae absconditae latent, Indulso Nicolai primo et conueniente et simul repugnasse videntur. Edikum enim est documentum, quod Notarius in testimonium possessionis Praelature, a Bertholdo de Medhem per Procuratorem apprehensae, in Capitulo Frideslariensi anno MCCCCLIII. consignauit. In hoc cum inter alia paucis dicatur talis sere forma solennis obseruata esse ^{l)}, qualem Nicolaus in precibus offerendis et exequen-

^{k)} CHRISTOPH. LEHMANNI
Chronica der freyen Reichsstadt Speyer.
Buch. VII. Cap. CIX.

^{l)} Documentum, quod apud WÜRTWEINIVM Sulſd. Diplo-
matic. Tom II N. XIV. p. 54 depre-
henditur, praeter alia continet haec:

Anno Millesimo quadringentesimo quin-
quagesimo tertio — die vicesima tercia
mensis Martii — in mei Notarii pu-
blici — praesentia personaliter confi-
turus — Ioannes Haringebusen prebi-
ter Mogunt. Dioec. procurator et eo
nomine procuratorio — Bertholdi de
Medhem Decretorum Doctoris Ecclesie
S.

exequendis obseruari preeceperat; colligere exinde licebit," preces illas primo Nicolai Indulto hactenus conuenisse. Sed Praelatura, cuius possessionem Precista per Procuratorem adipisciebatur, nomen Scholasteriae prae se ferebat. Proinde cum Officia Scholasticorum, Decanatus et Praepositurae in Ecclesiis Cathedralibus inter dignitates post Pontificalem maiores, et in Ecclesiis Collegiatis inter dignitates principales referuntur, Nicolaus autem vtrumque dignitatum genus a precibus caesareis emisset; sponte apparuit, ipsas illas preces, de quibus res est, primo Nicolai Indulto hactenus repugnasse. Causa repugnantiae quae fuerit, Posteri forte, vnde vere definiant, habebunt. Nostrum tamen cum sit, vitare incuriam, augurando saltem periclitabimur. Supra^m) quippe admonitum est, quod ante Concordata Nationis Germanicae, praeter beneficia minora, Personatus et Officia ac dignitates, sive maiores essent sive principales, precibus imperialibus adscicerentur. Concordata deinde cum inirentur, collatio dignitatum illarum ordinariis collatoribus integra referuabatur. Quapropter.

S. Petri Fridclariensis canonici, de cuius proclamationis mandato michi constat, — Decano Cantori Custodi aliisque ecclesie Fridclariensis Canonice in loco capitulari eiusdem ecclesie existentibus et representantibus requisitionem ipsis Dominis alias per eum iuxta tenorem vim et formam literarum primariarum precum — Frederici Romanorum Imperatoris — Bertholdo gratiose dararum et concessarum ac processuum exinde fulminatorum factam insinuarum et publicantiam innovantes adenuo — Decanum Cantorem ceterosque canonicos in — loco capitulari existentes medianeibus processibus predictis requireverem instaurer forma qua portu

meliori perendo iuxta corundem processuum et litterarum vigorem Praeclarum Scolasteriae sepedicile Fridclariensis — alias per eundem — procuratorem acceptare ut instrumento acceptationis et prouisionis plenius habetur et contineatur possessionem realium et actualium sibi nomine procuratorio tradendam dari et assignari adhucitique Solemnitaribus solliciti et consuetis ipsum inducere ad eandem, qui quidem — Decanus Cantor Custos et Canonici — possessionem vel quasi realem et actualem dictae Scolasterie — joanni tanquam — Bertholdi — procuratori concorditer nemine contradicente — tradiderunt etc.

^m) Sub initium §. antecedentis.

F

propter nēs Precistae desinebant eisdem dignitates acceptare, nec collatoribus ordinariis erat, cur Precistis contradicerent consuetudinemque diu agnitam euerterent. Neque vero ratio subest, quare collatores et cum iis Precistas censeamus in contrariam sententiam discessisse, postquam Pontifex Romanus, pro arbitria sua et Patronorum suorum interpretatione Concordatorum, omnem dignitatum maiorum et principalium collationem affectauerat. Conquerebant enim collatores de vi Concordatis illata ⁿ⁾, et quod illi alta voce improbabant, id ne Precistae probarent, amor fui aurique fames dissuadebant. Licet igitur Nicolaus V. tantum sibi arrogaret, ut dignitates post Pontificalem maiores et principales a precibus caesareis excluderet; collatores tamen aequa ac Precistae facile sibi persuadabant, absque iniuria negligi exemptionem, quae non modo in detrimentum Imperatoris, sed, quod multo grauius erat, in ipsorum etiam collatorum contumeliam decreta esset. Hancce vero opinionem et collatores et Precistas aliquamdiu fouisse, ab historia illius aevi ecclesiastica magis confirmatur, quam refutatur. Nam Sixtus IV. vetabat, ne ad Decanatum et Scholasteriam Spirensis Ecclesiae maioris aut ad Praeposituras Ecclesiarum Spirensium Collegiarum, quarum dignitatum collationem arbitrio Capituli Ecclesiae Maioris relinquerebat, vilius amplius Precista admitteretur ^{o)}. Et Decano Ecclesiae S. Petri Moguntinae anno MCCCCLXXXIII. diem suum obeunte, Bernardus Gros, possessione Decanatus, quam virtute precum imperialium petierat, a Capitulo denegata, iure suo se se abdicare, quam iudicio experiri malebat.

n) Testes querelarum sunt Epistola AENEAE SYLVIIS. praecedente not. (t) citatae.

o) Diplomata duo extant, quorum alterum de anno 1477, supra §, ante-

cedent. not. (u) commemoratum est, alterum vero anno 1478. decimo Kal. Octobris datum reperitur apud WÜRDTWEIN. *Salfid. Diplomat.* Tom. IX, N. XXXVII. p. 202.

lebat^p). Qui vero Precistae huiusmodi dignitates post tria Nicolai V. et Calixti III. Indulta acceptare audebant, nisi collatores exemptionem, a Nicolao V. decretam, absque iniuria negligi passim autumarent, praesertim cum ipsi Pontifices de interpretatione Concordatorum ambigerent, ac propterea Sixtus IV. Decanatum et Scholasteriam Ecclesiae Maioris Spirensis, et Pius IV. Praeposituram Ecclesiae Moguntinae alternatione mensium teneri seculo adeo XVI. adhuc opinaretur^q)? Quia igitur de causa Precistae ad exemtas dignitates a collatoribus aliarum Ecclesiarum admitti solebant, eadem de causa verisimile est Bertholdum de Medhiem, consentiente Capitulo Ecclesiae Frideslariensis, possessionem Scholasteriae apprehendisse. Quemadmodum autem preces istae primariae primo Nicolai Indulto quodammodo accommodabantur, ita Literae precum ad Episcopum Cameracensem absque omni Indultorum usurpatione anno MCCCCLXXXI. dabantur. Prouocabat enim in iis Imperator ad solam consuetudinem antiquam filebatque de ope et auctoritate papali, perinde ac si nulla vñquam a Pontifice Romano impetrasset Indulta^r). Nisi itaque sumere veli-

F 2

mus,

p) Vid. WÜRTDWEIN. *Subsid.* in dem heiligen Reich in Eingang und Diplomat. Tom. I. N. XIII. not. (i) Aufang irer Würde Unser Kaiserlich erft Bete für ain Person, uns dartra gefellig, umb ain Prebend irer geistlichen Lebensklafft gewendet, die sich alsdann Unser Kaiserlichen Majestät zu Ere, und um solcher Unser Kaiserlichen ersten Bete willen darinn gehorsamlich erzeig, und dieselben Personen mit geistlichen Prebenden fürgesehen haben, und nachdem wir dem ersamen unferm Secretari und lieben andebigen Sixtinen Scharffennegkher von der seiligen Dinst wegen, So er Unus etwas Zeit tan hat, — — zu Aufuerung seiner Person Gnad und Fürderung billich zu ertezagen genaigte, auch

q) In Literis ad Ferdinandum I., quae §. praecedente not. (y) laudatae sunt, et in Diplomate, cuius §. eadem not. (u) facta est mentio.

r) Mentem suam Fridericus in Literis precum primariarum apud SENKENBERGIVM Tractat. *de iure primariorum precum.* Codic. Probat. Adiunct. XXXIX. in hunc modum explicabat: *Als unser Vorfordern am Reich und wir vor alter Gewohnheit herbrachte, daz wir an geistlich Fürsten*

gegen

mus, cunctas precum, quas Fridericus post Indulta concepsit, formulas ad rationem formularum, ante annum MCCCCLI. visitarum, conceptas fuisse, (id, quod tamen, reliquis precum imperialium Literis nusquam repertis, audacter et temere sumeremus); non possumus non anomaliam formulae precum, ad Episcopum Cameracensem mis-
tarum, ex singulari aliqua causa repetere. Haec vero quae fuerit, nec ex formula nec aliunde patet. Quapropter pro suo quisque ingenio cau-
sam substituet, donec, quae verior sit, inueniatur. Iam equidem ZYPAREO
auctore ⁵⁾ noui, de usu Concordatorum Nationis Germanicae in Ec-
clesia Cameracensi diu disceptatum fuisse. Neque nescio, per Eccle-
sias Imperii Germanici paulatim dimissa opinionem, quod Indul-
tum Nicolai primum cum Concordatis pugnaret, adeo, ut eo nomine
Nicolaus secundo suo Indulto iisdem derogasse videatur. Quoniam
ergo huiuscmodi opinioni in Ecclesia Cameracensi, Concordatis
nondum acceptatis, nullus dabatur locus; nec opus forte habebat
Fridericus Indulto, quo preces suas ab exceptionibus Episcopi Came-
racensis defendenter.

§. XXII.

gegen deiner Andacht im unzweifel-
chen Vertrauen sein, das solch unsrer
Keisirlich erste Bete bey dir sollen an-
gesieben und vollarig tan werden. Also
begern wir an dem Andacht mir sonn-
derm und gantzen Vleiß, daz du, uns
zu Eren und zu Gevalten, und umb di-
ser Unserer Kaisirlichen ersten Bete wil-
len, so wir biemit an dich wenden,
dem bemelten unserm Secrarii die
negstledig Pfürnd zu unserr lieben
Fratre, in unsfer und des bayligen
Reicht Stat Camerakk, so dein Andacht

zu verleiben bar, Daram Er oder seins
Anwalt dich anlangen wirdet, Auf
solch unsrer und derselben unsrer Vor-
fordern löblich Herkommen, für all
ander verleibet, Dafür seben, Und
wellest Uns dieser Unserer Keisirlichen
ersten Bete mir verzeihen etc.

s) FRANCISC. ZYPAREVS in In-
ris Pontificii analyticaz narratione.
Lib. III. Tit. de Institutionibus. n.
II. Operum EIUSDEM Tom. I. p.
98. seq.

§. XXII.

2. de vi Indultorum papalium,

quae

A. facultatis precum primariarum dandarum, a Friderico prorsus alienae, indulgentia papali absolu censetur, quia a) ius precum primariarum originem suam debuerit Indultui papali.

Iuris precum primariarum, a Friderico III. exerciti, ratione et vicissitudinibus, quantum fieri potuit, documentorum auctoritate delineatis, instituti iam est, in finem, siue, quod idem est, in vim paullisper inquirere, qua Imperatori a Pontificibus concessa sunt Indulta. Hanc qui eruere geslit, is modo Literas, quibus Fridericus Indulta papalia expetivit, sedulo inspiciet; modo ipsorum Indultorum verba, sensum et integrum argumentum seuere explorabit, modo denique faciem, quam res illius aeui ecclesiasticae ob oculos sistebant, diligenter intuebitur. Literae vero, quas Imperator pro Indultis sibi concedendis ad Nicolaum V. et Calixtum III. dedit, aut deperdite sunt, aut, quod magnopere dolendum est, ad nostram usque aetatem absconditae latent. Cum igitur omnis disquisitio ad reliquos duos fontes reiiciatur, ipsa autem Indulta rerumque ecclesiasticarum facies dubiae et ambiguae sint interpretationis; diu iam euenit, ut causa, aliquin grauissima, cum summa contentione agitaretur, partesque pro studio et ingenio diuerso varia de fine aut vi Indultorum judicia ferrent. Quae vtcunque a se inuicem recedant, auctores tamen ipsorum in duas secum conueniunt sententias. Has proinde si recensuero, meo simul officio rite perfunctus esse videbor.

Primae igitur sententiae auctores, veluti CLEMENS XI., OLIGENIUS siue potius MARCELLINVS CORRADINVS, BENEDICTVS XIV., BRANTLVS aliisque plures statuerunt, *Indulta Friderico III. a Pontificibus ea vi concessa esse*, ut facultatem precum primariarum dandarum,

qua absque Indultu papali plane caruisset, consequeretur. Quam quidem sententiam ne quis temere dictam existimaret, plura in medium protulerunt argumenta, quae singula deinceps commemorari et examinari merentur. Repetunt quippe, id quod primum argumentum est, OLIGENIVS^{t)} et BENEDICVT S XIV.^{v)} ius precum primaria- rum ab Indulto papali, cuius documentum esse volunt Priuilegium bullatum, Rudolpho Habsburgico vel Antecessori cuidam, DVRANDO teste, a Pontifice indultum. Nam concedunt quidem, Rudolphum Habsburgicum ad solam consuetudinem antiquam prouocasse. Sed eam magis abusum dicunt quam firmum iuris fundamentum fuisse; ideoque negant, ex ea, nisi Indulto papali confirmata esset, precum primiarum potestatem ad Imperatores unquam redundasse. Quemadmodum autem ius precum imperialium una cum IOHANNE A CHO- KIER^{x)}, utpote qui sub initium Seculi XVI, idem pronuntiavit, consuetudini, priuilegio papali confirmatae, tribuunt, ita etiam persuasum sibi habent, Friderico III. ipsam precum primiarum facultatem Indultis Nicolai V. et Calixti III. concessam esse. Nacti hi sunt aduersarios FRITSCHIVM, MÜLDENERVM, MAYERVM, GRIBNERVM, AYRERVM et Liberum Baronem DE SENKENBERG. Irrident GRIB- NERVVS^{y)} et AYRERVS^{z)} cum MÜLDENERO^{a)} Durandum tanquam bonum, quem vocant, Speculatorem, qui multa in Speculo suo vi- derit

t) In' *Dissertat. de primariis preci- bus imperialibus.* §. XIX — XXI. et

y) In *Dissertat. de primariis preci- bus imperialibus sine Pontificis indulu- validis.* §. VI.

v) In *Litteris ad Archiepiscopum Lao- dicensem, Nunrium Apostolicum Colo- niae missum*, de anno 1747. n. 22. 23. et 26. apud SENKENBERG. in *Tractat. de iure primiarum precum.* Codic. Probat. Adiunct. LXXVIII.

z) In *Dissert. de iure primaria- rum precum Caesareo in foundationibus Imperii mediatis* §. VII. p. 18. et in *Commentatione: Ius primiarum precum.* Cap. I. §. XXII. p. 44.

x) In *Scholiis in primarias preces Imperatoris.* Pag. 57. et 60. seq.

a) In *Dissert. inangur. Posit. IV. de prim. prec. Imp.* §. 7,

derit alias ipso longe oculatioribus invisa, absconsa et inaudita. Ac ne Durandi fides contra, quam fas sit, inimici censeatur, MAYERVS^{b)}, GRIEBNERVS^{c)} et AYRERVS^{d)} cum FRITSCHIO^{e)} ad Leges profugint, quae sanciendo docent, referenti, nisi appareat de relato, haud credi. Quin AYRERVS^{f)} insuper arbitratur, Durandum Pontifice suaore Privilegium bullatum fixisse et tanquam oculis suis conspectum in speculo commemorasse. Opinatur enim AYRERVS, Pontifices, cum metuerent, ne tacendo ius precum caesarearum in detrimentum causae pontificiae vergeret, neue impugnando pristina controversia, quae Praesulibus Ecclesiae Romanae olim cum Imperatoribus super collatione dignitatum et beneficiorum ecclesiasticorum fuisset, resuscitaretur, affectas suos subornasse, qui, quicquid iuris Principibus secularibus circa bona ecclesiastica remansisset, gratiae et privilegio Pontificis adscriberent, atque Imperatoribus persuaderent, tutionem fore iuris precum primariarum professionem, si titulo ecclesiastico munita esset. Sed nolle, viros istos male iocatos esse. Velle potius, eosdem Durando, quem falsi testimonii conuincere nequivant, fidem habuisse. Placet rectum hac de re iudicium Liberi Baronis DE SENKENBERG, Privilegium bullatum nequaquam in dubium vocantis^{g)}. Verba enim DVRANDI^{h)}

ita

b) In Tractat. de iure primariarum precum, Thes. XLVIII.

f) In Dissertatione antea nomina-
ta, §. VII p. 19. seq.

c) In Differt. de primariis precibus imperialibus sine Pontificio industu vali-
dis. §. VI.

g) In Tractat. de iure primarum
precum. Part. II. §. XXIV.

d) In Differt. de iure primariarum
precum caesareo in fundationibus Im-
periali mediatis. §. VII, p. 19.

h) De loco Speculi DVRANDI et
si iam Specimine I. §. VIII. p. 36.
seq. pluribus actum est, tamen ut per-
spicitati subueniatur, verba, ibi-
dem cum lectori communicata, repe-
tenda duco: *Imperator habet priuile-
gium, quod ego vidi bullatum, quod in
qua;*

e) In Exercitat. de Imperiali prima-
riarum precum iure. Cap. II, n. 27.

ita sunt comparata et tali loco posita; ut nulla suspicio fraudulentiae appareat, nisi cui vestigia fraudis iisdem sua sponte et hoc consilio imprimere lubeat, ut ea deinde investiget Durandumque suspectum proclamet. Neque vero desunt exempla Privilegiorum et Indulctorum, quae, praeter Privilegium bullatum et Indulta supra exposita, Pontifices cum ante tum post Rudolphum Habsburgicum variis hominibus impertiti sunt. Etenim Ludovico VII., Francogallorum Regi, tum, cum e Palaestina redux fuit, oblatum est a Clerico quodam Priuilegium papale, cuius virtute in qualibet regni sui Ecclesia cathedrali praebendam primam vacaturam cum fructibus medio tempore prouenientibus haberetⁱ⁾. Contulit porro Bonifacius VIII. Regi Francogallorum, Philippo Pulchro, Priuilegium, vi cuius pro placo Regis in qualibet regni Ecclesia Cathedrali et Collegiata vna persona idonea beneficio donareturⁱⁱ⁾. Indulta iterum Henrico VII., Romanorum Regi, a Pontifice est potestas nominandi XV. personas ad totidem beneficia, quae in quindecim Germaniae Ecclesias Metropolitanis, Cathedralibus, Collegiatis aut Conuentualibus vacatura essentⁱⁱⁱ⁾. Impetravit rursus ab Innocentio VI. Rex Francogallorum licentiam determinandi XL, Iohanna Regina Francogalliae et Nauar-

rae

qualibet ecclesia Alemaniae possit facere unum recipi; unde in hoc articulo coram me sic libellus conceperus fuit: Coram ezc. propono contra P. quod, cum ad primicias precium serenissimi principis domini R. regis Romanorum recessus fuerim in canonicum et in fratrem in talis ecclesia, post banc meam receptionem in eadem ecclesia talis praebenda taliter vacavit, quae mihi de iure debetur. etc.

i) THOMASSIN in Ancienne et Nouvelle discipline de l'Eglise, Part. II. Liv. II. Chap. LIV. §. 6.

k) ODORICI RAYNALDI Continuari. Annalium Ecclesiastic. BARONII. Tom. XIV. ad annum 1297. n. 46 p. 509., et THOMASSIN Ancienne et Nouvelle discipline de l'Eglise. Part. II. Liv. II. Chap. XIV. §. 9.

ii) Apparet hoc ex Literis Nominationis Henricianis de anno 1310. apud WÜRTDWEIN. Subsid. Diplomat. Tom. XII. N. XV. p. 108; et apud SENKENBERG. in Tractat. faepius laudato, Codic. Probat. Ad junct. XIVb,

rae vidua XX, Iohanna Regis uxori XX, Rex Navarre XX, et denuo Rex Francogallorum alias XL. personas, quarum posteriores in totidem Provinciae Senonensis et Rhenensis, priores autem in totidem totius Regni Ecclesiis vna praebenda ornarentur ^{m)}). Dedit quoque Clemens VII. Carolo V., Regi Francogallorum, facultatem nominandi certum numerum personarum, quibus singulis beneficium in Ecclesiis Francogalliae Cathedralibus et Collegiatis conferretur ⁿ⁾). Nactus deinde est Theodoricus, Archiepiscopus Moguntinus, ab Eugenio IV. potestatem in Ecclesiis Moguntinae Dioecesis XXV. beneficia eo animo sibi referuandi, ut totidem personis, quae idoneae essent, donaret ^{o)}). Accepit etiam Fridericus III. ab Eugenio IV. et

Sixto

m) Recensentur variae istae nominandi facultates, quas Innocentius VI. a primo statim muneri pontifici anno distribuit, in Decisione DCCCLXXXI. de Facultatibus, quam complexitur Conclusorum sive Decisionum antiquarum Auditorum de Rota Collechio prior, Seculo saltem XIV., et quidem ante annum 1376. congesta, cum collectio posterior eodem Volumine contenta, quantum ex principio patet, a GVLIELMO HORNBORCHIO, Germano eodemque Decretorum Doctore et Auditore Rota, anno 1376. inchoata sit et ad annum usque 1381. continuata, ipsa vero facultas nominandi Regi et Reginae Francogallorum contigit anno 1353. Hoc enim anno d. 25. Iulii Regina Egidium quendam de Trambeo, et Rex anno 1354. d. 25. Februarii Mazzenum Guerti nominavit, ita, ut vrque de beneficio Ecclesiae Parisiensis prouideretur. Enata proinde inter utrumque lis est, quam Auditores

Rota in Decisione, de qua agitur, finierunt.

n) Videatur *Traicté de l'ancien Estat de la Petite Bresague par NICOLAS VIGNIER. p. 443; qua quidem pagina cum pagina 442. collata, patet, Indalatum hoc vel anno 1391. vel paullo ante concessum esse. Tradit etiam IACOBVS DE ALVAROTTIS, sive, ut ipse se interdum appellat, ALVAROTVS, in *Lectura in Ufis Feudorum Tit. Episcopum vel Abbatem. p. 41. col. 7. seu p. 43. col. 2.*, regem francie prebendas ex privilegio pape in regno suo conferre. Perfectio autem Lecturam sext. Octobris MCCCCXXXVIII, quae deinde edita est Venetiis 1477. d. 10. Iul.*

o) Documentum est Reservaria XXV. praebendarum Theodorico Archiepiscopo Moguntino ab Eugenio IV. anno 1435. indulta, quae exstat apud WÜRTWEIN. Sulfid. Diplomatic. Tom. IV. N. I.

Gesetzessammlung (P)

Sixto IV. duo Indulta; quorum priori nominationem C. personarum, in centum terrarum et dominiorum haereditariorum Ecclesias ad beneficium promouendarum, debebat, posteriori autem ius nominandi CCC. personas acceptum referebat, quibus singulis de beneficio ecclesiastico intra Germaniam prouideretur ^{p).} Regibus denique Hispaniae Alexander VI., quem Ecclesiae Romanae ab anno inde MCCCCXCII. praefuisse constat, Indultum eo effectu concessit, vt, quos illi nominaturi essent, ad beneficia ecclesiastica, postpositis adeo Scriptoribus apostolicis gratia papali exstructis, admitterentur ^{q).} Vt igitur modo ante modo post Rudolphum Habsburgicum Priuilegia et Indulta papalia Principibus laicis et ecclesiasticis contigerunt, ita cur dubitemus etiam Imperatori datum esse Priuilegium, quod Durandus bullatum vocavit? Num vero origo vel auctoritas precum primaria rum imperialium ab hocce Priuilegio repeti queat, id est, de quo in primis disceptetur. Differebant Priuilegia et Indulta illa a Priuilegio bullato, quod L. B. DE SENRENBERG in causa, quae hic non de inscriptione, sed de vi et effectu Literarum papalium in genere spectatis agitur, nimis anxius ab Indultis discernit ^{r),} non tam nomine, quam re. Potestas enim nominandi habendue beneficia ecclesiastica Imperatoribus Germaniae, Regibus Reginisque Francogalliae, Nauarre et Hispaniae, atque Archiepiscopo Moguntino sola Pontificum licentia arbitraria recens dabatur, nec ad successores ipsorum extendebatur. Ad verba vero Durandi animum aduer-

p) Indulti Eugenii IV. mentionem facit Nicolaus V. in secundo suo Indulto, quod supra §. XX. not. c. notatum est. In Iulium Sixti IV. de anno 1473, vna cum nominatione imperiali exhibetur apud SENKENBERG. in Tractat. supra allegato. Codic. Probat. Adiunct. XXXVIII.

LEVS, Sacri Palatii Apostolici Auditor, in Tractatu de Gratia expeditissimis, et ibidem de mandato de prouidendo, ibique de tercia forma mandati de prouidendo. n. 16. in Tractatum Tom. IV. p. 324.

r) In Tractat. memorato, Part. II. §. XXIV.

q) Videatur IOANNES STAPHIL.

aduertentes intelligimus quidem, Imperatorem vi Priuilegii in qualibet Ecclesia Alemaniae facere potuisse unum recipi. Sed haec facultas Imperatoris Priuilegio bullato antiquior erat, ideoque Imperatoribus aliunde quaesita. Etenim et si Imperatorem, qui Priuilegium habuisse dicitur, ignoramus, certe tamen aut Richardus aut e numero eorum fuit, qui ante Richardum Imperii gubernacula tenuerant^{s)}. Is vero, quicunque denum fuerit, Priuilegium vel sibi tantum, vel successoribus simul impetravit. Si vsls Priuilegii personae, non dignitati impetrantis adhaerebat, illud vna cum Imperatore impetrante exspirabat; nec vlla exinde nasci poterat consuetudo successoribus proficia. Si contra Priuilegii vis ad omnes omnino successores extendebar, ne tum quidem in locum Priuilegii substituere licebat consuetudinem. Imo vero necesse erat, vt quilibet Imperator facultatem praesentandi, quoties ea vtebatur, collatoribus Priuilegio nominatim excitando probaret. Neque enim, prouti Henricus VII. exemplo suo docuit^{t)}, a more Seculi illius abhorrebat, laudum Indultum, cui ius debebatur. Neque Pontifices potestatem praefentandi, quae Priuilegio Antecessorum innitebatur, e consuetudine deriuari vñquam suissent. Atqui Rudolphus Habsburgicus, qui que ante Fridericum III. Germaniae imperabant, ius precum primariarum in Literis suis, quascunque inspicere Viris doctis hucusque contigit, nufpiam e Priuilegio papali, sed vbiuis, nemine Pontificum contradicente, ex longa et antiqua con-

G 2

suetu-

^{s)} Ratio huius sententiae iam Spe-
cim. I. §. VIII. exposita est.

^{t)} Nam incipiunt Literae paullo
ante not. l) indicatae, quibus Hen-
ricus VII. vi Indulti papalis Physicum
Ioannem Tremeleytia mente nomi-
nauit, vt ipsi Canonici et prae-
benda in Ecclesia Wormatiensi con-
ferrentur, his verbis: *Cum nostro ma-
iestati niger a sede Apostolica fuerit et*

*si generose induluum, Te (Balduino
Treuitorum Archiepiscopo) executore
nostro — a sede apostolica super gra-
tia nobis facta deputato, ut XV per-
sonis, quas duceremus Tibi — nomi-
nandas, in quindecim Ecclesiis — in
Regno nostro Almannic constitutis, sin-
gulis earum in singulis Ecclesiis, quas
duceremus tibi — eligendas (beneti-
cium conferatur,) Notum esse volu-
mus etc.*

fuetudine sibi vindicabant. Fuit igitur, id quod adeo nomen precum comprobare videtur, ipsa potestas precum primariarum sive facultas praesentandi Priuilegio bullato antiquior et Imperatoribus aliunde, quam ex indulgentia papali quaesita. Si vero precum primariarum facultas aliunde prouenerat et iam ante Priuilegium bullatum Imperatoribus competierat, in quem, quaeſo, finem, illud datum censeamus? Scilicet, inquit Iohannes a Chokier, Oligeniūs et Benedictus XIV., ut consuetudo antiqua et, quod ex ea dimanasse ferebatur, ius precum primariarum confirmarentur. Ac confirmatione aut actus erat plane inanis, aut efficiebat, ut preces primariae, haec tenus illicitae, in legitimas transformarentur. Et talis si erat confirmationis efficacia, Imperatorum rufus erat, preces primarias collatoribus non consuetudine, sed confirmatione papali alleganda comprobare. Quod igitur cum nec Rudolphus Habsburgicus nec reliqui Imperatores ante Fridericum III. fecerint, cumque nullum Pontificem eatenus sibi obloquentem habuerint; siq[ue]s Priuilegii haudquaquam erat confirmatione, sed iuuentum, quod, ne mora ambagium obiceretur, in precibus primariis exequendis sepe adlaturum esse, Pontifex in omne tempus promittebat. Huiuscemodi autem promissio adiumenti, ad quod Imperatores, Rudolpho Habsburgico innuente^{v)}, interdum recurrere solebant, nihil iuriis aut potestatis tribuebat, quod Imperatoribus non iam antea aliunde esset comparatum. Quapropter male omnino argumentantur, qui ius precum primariarum e Priuilegio bullato primitus profectum esse sumunt, ac iam inde colligunt, quod id ipsum Friderico etiam III. Nicolai V. et Calixti III. Indultis denuo sit concessum. Appellant quidem Oligeniūs et Benedictus XIV. consuetudinem, ad quam Rudolphus Habsburgicus aliquique Imperatores prouocarunt, abusum, qui nonnisi confirmatione papali vim iuriis nanciseretur. Sed inter omnes constat, Pontifices Romanos cum asseclis suis principia iuriis non tam ex aequo et iusto, quam ex

com-

v) Vid. Specim. I, §. IX.

commodo suo aestimare et cum principiis contrariis commutare consueuisse. Proinde nemo profecte mirabitur, OLIGENIVM et BENEDICTVM XIV. silentio praeterisse doctrinam, quae Seculo adhac XIV. et serius penes Auditores Rotae Romanae vnu celebrabatur et ab Interpretibus Iuris canonici vltius propagabatur. Nam Auditores Rotae Romanae ingenuus profitebantur, quod in electionibus et beneficiorum collationibus consuetudo spectaretur, et ad Reges etiam aliquos ius conferendi praebendas de consuetudine Ecclesiae pertineret^{x).} Ac post Auditores Rotae Romanae IOANNES DE SELVA consuetudinem tradebat esse contractum tacitum, qui, etiam si circa Spiritualia versatur, de iure tamen esset permisus^{y).}

§. XXIII.

b) quia *Ius precum primariarum caesareum Concordatis Nationis Germanicae sit sublatum.*

Ne itaque auctoritas primae sententiae decreceret, CLEMENS XI., OLIGENIVS, BRANDIVS et alii secundum argumentum annexerunt. Proclamat enim, *ius precum primariarum, qualecumque Imperatoribus olim fuerit, Concordatis Nationis Germanicae penitus esse extinctum.* Docent quippe CLEMENS XI.^{z)}, OLIGENIVS^{a)} et BRANDIVS,

G 3

DIVS,

x) In Conclusionum sive Decisionum antiquarum, paullo ante not m) allegatarum Decisione DCCCXL. de conjectudine.

y) In Tractatu de Beneficio. Part. II. Quaest. XXIII. n. 4—46. Tomi IV. Tractatuum p. 51. col. 4.

z) In Literis inhibitorialibus ad Capitulum Hildesiense die 6. Martii 1706. datus, quae extant apud IUST. HENNING, BOEHMERVM Iuris Eg-

elefant. Protestant. Lib. III. Tit. V. §. CXII. Tom. II. p. 354. seqq.; nec non in Deductione a Julio Archiepiscopo Rhodiensi, iubente Clemencie XI., ad Capitulum Ecclesiae Cathedralis Hildesiensis missa, quae reperitur in ADAM. CORREI Repraesentatione iuris primariarum precum etc. Cap. I. in EIVSD. Corpore Iuris publici germanici Tom. I. Part. VI. p. 97.

a) Loco laudato, §. XXX.

nivs^{b)}, libertatem electionum et collationum, quae Pontificibus et ordinariis collatoribus in Concordatis Nationis Germanicae addicta sit, caesarearum precum exercitio eversam, neque tamen juris precum in illis rationem habitam mentionemue inieclam esse. Addunt praeterea OLIGENIVS^{c)} et BRANDIVS, vniuersae Nationis Germanicae, Collatorum ordinariorum et Friderici III opinione communi manifesto id confirmari, quod ex inde Concordatorum et silentio, quo ipso- rum auctores ius precum primiarum praeterierint, luculenter iam appareat. Collatores enim ordinarios precibus Friderici post Concordata ideo animum haud obtemperasse, quoniam a tempore Concordatorum inde ius precum imperialium exspirasse autemauerint, Proinde hinc eueniisse, vt Pontifex Nicolaus V. Concordatis in Indulto secundo derogaret atque sic rursus efficeret, vt Collatores ordinati v- hementer conquererentur, Clerusque Archiepiscopatum Moguntini, Treuirensis et Coloniensis in conuentu, Confluentii anno MCCCCCLXXIX. habito, publice declararet, quod per nominationes imperiales Concordatis derogaretur^{d)}. Fridericum vero III. opinio- nis, quam vna cum collatoribus ordinariis de vi Concordatorum fo- verit, multa fecisse indicia. Etenim, Concordatis iam initis, Impe- ratorem a Nicolao V. Indultum sibi expetiuisse eumque, vt per Indul- tum Concordatis derogaret, excitasse^{e)}. Constatre porro, quod, cum Collatores precibus, post primum Nicolai V. Indultum directis, excipiendo contradixissent, Fridericus neutiquam opposuerit Antecesso- rum consuetudinem, vt pote quae nec a Nicolao in Indulto sit nomi- nata^{f)}. Quin Imperatorem adeo passum esse, vt non modo benefi- cia,

b) Loco citato, Cap. II. §. V. p. 153. §. XIX. p. 137. et Cap. II. §. VII. p. 155.

c) Loco laudato. §. XXXVI. e) BRANDIVS loc. citat. Cap. I. §. XVIII. p. 136. et OLIGENIVS lo- co laudat. §. XXXV.

d) BRANDIVS loc. laudat. Cap. I. f) OLIGENIVS loc. citat. §. XLI.

cia, quorum prouisio virtute Constitutionis extrauagantis *Ad Regimen Concordatis* insertae, Pontifici reseruata esset, sed alia etiam in Indultis papalibus a iure precum caesarearum exciperentur.^{g)} Neque vero Pontifice in Concordatis ea mente derogasse, ut ipsa cum precibus primariis Imperatoris conuenire fateretur, sed ut potius caueret, ne precibus imperialibus, quas sustulissent, amplius cibessent.^{h)} Quapropter cum partim indeoles Concordatorum precibus imperialibus repugnauerit, partim ipse Fridericus ius suum in illis non modo non sibi reseruauerit, verum etiam cum collatoribus ordinariis pro sublato habuerit, partim denique ob eandem rationem Nicolaus V. in gratiam precum caesarearum Concordatis derogauerit; CLEMENS quidem XI., OLIGENIUS et BRANDIUS persuasum sibi habent, quod ius precum primariarum imperiale Concordatis sit extinctum. Ac quo minus ea de re dubitant, eo minus a veritate sese aberrare arbitrantur, cum exinde concludunt, Fridericum III. Indultis papalibus ipsam precum dirigendarum facultatem debuisse.

Enimuero multi Virorum doctorum extiterunt, qui secundum illud argumentum impugnarent, FRITSCHIUSⁱ⁾ nempe, MAYERVS,^{k)} CORTREIVS,^{j)} LYNKERVIS,^{m)} GRIBNERVS,ⁿ⁾ AYRERVIS,^{o)}

BOEH-

g) OLIGENIUS loc. laudat. §. LVIII; et BRANDIUS loco excitat. Cap. IV. §. XII. p. 183.

EIVSDEM *Corpo Iuris publici S. R. Imperii Germanici*. Tom. I. Part. VI. m) In *Vindiciis primariarum precium* etc. n. 6—8. p. 17. et 18.

h) BRANDIUS loco laudat. Cap. II. §. VIII. p. 156.

n) In *Dissert. de primariis precibus imperialibus sine Pontificis Indulitu validis*. §. 17. et 18.

i) In *Exercitat. de imperiali primariarum precum iure*. Cap. II. n. 35.

o) In *Dissert. de iure primariarum precum caesareo in Foundationibus Imperii medievis* §. VIII. et XI; et in *Commentarij. Ius primariar. precum*. Cap. II. §. I.

k) In *Traictat. de iure primariarum precum*. Thef. XLV.

l) In *Observatis ad Concordata Imperatoris Friderici et Nicolai V.* Cap. II. n. 31. et 33., quae extant in

BOEHMERVS,^{p)} L. B. DE SENKENBERG,^{q)} et, qui cunctos p̄aecessit,
IOHANNES A CHOKIER.^{r)} Ac sunt profecto, quae contradicantur.
Est quippe omnium fere Iuris ecclesiastici Interpretum sententia, quod
a priscis inde temporibus collatio Officiorum, Dignitatum et Benefi-
ciorum minorum in Ecclesiis Christianis non ad Pontifices Romanos,
sed ad cuiusuis Ecclesiae Episcopos, Capitula alias personas eccl-
esiasticas tanquam ordinarios collatores pertinuerit. Neque historia re-
rum in Ecclesia gestarum egena est monumentorum, vnde sententia
illa communis confirmetur. Nam Seculo IV. et V. Presbyteri, HIE-
RONYMO^{s)} et AVGVSTINO^{t)} testibus, ab Episcopis singularum Ec-
clesiarum constituebantur, ita, vt ex Decretis Concilii Carthaginien-
sis III.^{u)} et IV.^{v)} Consilium Presbyterorum et connuentia ac testi-
monium populi accederent. Eadem potestas Seculo VI. circa Officia
ecclesiastica in Concilio Agathensi,^{y)} et Seculo VII. circa Basilicas in
Concilio Toletano IV.^{x)} Episcopis vindicabatur. Chrodogangus et-
iam, Episcopus Metensis, Seculo VIII. in Regula sua^{a)} collationem
omnium Capituli dignitatum, Archidiaconatus, Praepositurae et De-
canatus Praesuli Ecclesiae tribuebat. Seculo vero IX. Concilium

Aquis.

p) In *Iure Ecclesiastico. Protestant.*
Lib. III. Tit. V. §. CXII. et CXXI.
Tom. II. p. 357. et 367.

q) In *Traçat. de iure primarum pre-
cum.* Part. I. §. XVIII. et Part. II. §.
XLII—XLIV.

r) In *Scholiis in primarias preces
Imperatoris.* Sect. IV. p. 57—61.

s) *Commentar. in Epistol. ad Titum.*
Cap. I. Operum Tom. IV. p. 412. ex-
edit. Ioh. Marianay.

t) In *Epistola LXV. ad Xanippum
Auguſtinum.* Numidiae Primate, Ope-
rum Tom. II. p. 116.

v) Canon. XXII. apud HARDVI-
NVM Concilior. Tom. I. p. 963.

x) Canon. XXII. apud HARDVI-
NVM Concilior. Tom. I. p. 980; et
c. 6. Distinct. 24.

y) Canon. XXIII. apud HARDVIN.
Concilior. Tom. II. p. 1000; et c. 5.
Distinct. 74.

z) Canon. XXXIII. apud HAR-
DVIN. Concilior. Tom. III. p. 587;
et c. 6. C.X. q. 1.

a) Cap. 25. et 27. apud HAR-
DVIN. Concilior. Tom. IV. p. 1192,

Aquisgranense^{b)} salutam Episcopo relinquebat potestatem eligendi et instituendi, quicunque Capitulorum Praesides et inspectores auctoritatisque episcopalibus Vicarii et ministri essent. Neque latet, Seculo XI. Presbyterorum ceterarumque inferiorum personarum officia in parochialibus alius Ecclesiis ab Episcopis modo cum Abbatum consensu, modo absque eo collata^{c)} prohibitumque sanctione ecclesiastica esse, quominus Episcopi de Archidiaconatibus, Archipresbyteribus, Decanatibus, Praeposituris et Canoniciatibus vendendo prouiderent.^{d)} Extant quoque Decreta^{e)} duorum Conciliorum Lateranensis sub Calixto II. et Alexandro III. annis MCXXIII. et MCLXXIX. habitorum, ex quibus apparet, officiorum praebendarumque ecclesiasticarum collationem Seculo XII. tam penes Episcopos, quam penes Capitula Ecclesiarum fuisse. Quin adeo certum est, Capitula et Collegia aliasque personas ecclesiasticas nec Seculo XIII. facultate conferendi praebendas et recipiendi Canonicos caruisse.^{f)} Quae vero ratio prouidendi de beneficiis ecclesiasticis ex iure Ecclesiarum communi obtinuit, ea in Germania quoque ad tempora usque

Com-

^{b)} Cap. 138. Libri I. apud HAR-
DVIN. Concilior. Tom. IV p. 1143.
et Cap. 140. p. 1144.

^{c)} c. 6. C. XVI. q. 2. et BARONI-
NI Annalium Ecclesiastic. Tom. XII.
ad annum 1100. p. 125; nec non
PFEFFINGERI Vitriar. Illustrat.
Tom. I. p. 1387.

^{d)} c. 3. C. I. q. 3. et BARONII
Annal. Ecclesiast. Tom. XI. ad annum
1090. p. 805; nec non HARDVIN.
Concilior. Tom. VI. Part. II. Canon.
I. p. 1685. et Appendic. Epistolar. Ur-
bani II. Epist. XVII. apud eundem

HARDVIN. Concilior. Tom. VI. Part.
II. p. 1661.

^{e)} Decretum Concilii Lateranensis
de anno 1123. exhibetur c. 11. C.
XVI. q. 7. et apud HARDVIN. Con-
cillor. Tom. VI. Part. II. Canon. VII.
p. 1112., Decretum vero Concilii
Lateranensis de anno 1179. c. 2. X.
de concessione praebendae.

^{f)} Videatur Constitutio Alexandri
IV. contra pluritatem denominationis
Canonicorum etc., quae inserta est a
WÜDTWEINIO Subsid. Diplomatic.
Tom. I. N. XVIII. p. 186.

H

Concordatorum Nationis Germanicae viguit. Guntharius enim, Archiepiscopus Colonensis, in Synodo, quae ad Coloniam Agrippinam anno DCCCLXXXIII. congregabatur, Canonicis liberam ipsorum electionem collatione inque praebendarum concedebat.^{g)} Trecentis fere annis post Gerohus, Praepositus Reicherspergenis et Eugenii III. ac Friderici I. Imperatoris coetaneus, suadebat,^{h)} ut Episcopi praebendas Canonorum irregularium vacantes regularibus Canonicis distribuerent. Ac ipse Innocentius III., qui Sedem pontificiam sub finem Seculi XII. concenderat, Literis, ad Episcopum Hildesheimensem, Archiepiscopum Magdeburgensem et Praepositem, Decanum Canonicumque maioris Ecclesiae Erfordiensis datis,ⁱ⁾ prodebat, sua aetate Praeposituram et praebendas in Ecclesia Bremensi, Canoniciatus in Ecclesia Magdeburgensi et praebendas in Ecclesia Würzburgensi ad Capitulorum collationem pertinere. Simili ratione per Seculum XIII. electio Praepositi, Decani et Canonorum Ecclesiae Mindensis,^{k)} electio Praepositi et Decani Ecclesiae Suerinen-

fis

g) Verba Actorum Synodi huc spēciantia Specimine I. §. II. p. 18. ex HARTZHEIMIO Concilior. German. Tom. II. p. 357. transcripta deprehenduntur.

h) Gerohi verba legere licet Specimine I. §. II. p. 18. ex BALVZII Miscellaneorum Tom. V. p. 109. seq. transsumpta.

i) Literae ad Episcopum Hildesheimensem c. 9. X. de concessione praebenda, Literae ad Archiepiscopum Magdeburgensem a STEPH. BALVZIO Epistolarum Innocentii III. Romanii Pontificis Lib. II. Epist. XX. Tom. I. p. 343., et Literae ad Praepositem,

Decanum et Canonicum Ecclesiae maioris Erfordiensis ab eodem BALVZIO cit. loc. Lib. II. Epist. CVII. Tom. I. p. 412. exhibentur.

k) Documenta sunt Des Päpstlichen Subdelegati im Hochstift Minden Statuta, die Obedientien, Zobenden, Archidiaconatu, XXIV. Praebenden etc. betreffend de anno 1230. apud LINIG. Spicileg. Ecclesiast. Continuat. III. Fortez. V. vom Hochstift Minden. N. LXV. p. 57., et Statuti confirmatio super quinque Archidiaconatu, et XXIV. praebend. de anno 1230. apud WÜRTWEIN. Sudfd. Diplomat. Tom. X. N. I. Quod quidem Statutum Capituli Mindensis post hac ab

sis¹⁾ et dispensatio praebendarum Ecclesiae Fritzlariensis^{m)} ab arbitrio Capitulorum, quae iisdem Ecclesiis adsidebant, suspensae erant. In pluribus itidem Ecclesiis et Monasteriis Moguntinis Seculo XIV. Praelaturas, Dignitates, Personatus, Canonicatus et alia beneficia ecclesiastica Clerus eligendo conferebat.ⁿ⁾ Et in Moguntina Ecclesia Sanctae Mariae ad Gradus prouisio de Canonicatibus et praebendis, sive, beneficiis maioribus, quorum collatio antea penes integrum Capitulum fuerat, a Decano aliisque Praelatis et Canonicis capitularibus per Turnum maiorem siebat.^{o)} Denique Seculo XV. in Statutis Ecclesiae Pinguisensis dispositio de Dignitatibus, officiis et praebendis modo Archiepiscopo Moguntino, modo ipsi Ecclesiae Capitulo addiccebatur.^{p)}

H 2

Et

ab Innocentio VI. anno 1360. denovo confirmatum est, quantum cognoscitur ex Bulla super V. Archidiaconatis et Confirmatione Statutorum apud WÜRTWEIN. Subsid. Diplomat. Tom. X. N. II. p. 7.

1) Patet haec electio ex Constitutionibus Ecclesiae Suerinensis per Episcopum Fredericum Clericorum officium maxime concernente de anno 1238. apud ERNEST. IOACHIM. DE WESTPHALEN Monumentor. inedito. rerum Germanicar. Tom. II. N. XVIII. p. 1970. Leguntur enim ibi p. 1975. verba: Item nullus eligeretur in Praepositorum vel in Decanum, nisi habeat vocem in Capitulo. Electio autem ex more temporum illorum ad Capitula spectare solebat.

m) In Concilio quippe Fritzlarensi anno 1246. habito statuebatur Canone VI., vt, beneficio nondum vacante, praeter iustum necessitatem nullus eligetur Canonicus; si vero minus,

vt Episcopo esset potestas conferendi tot praebendas, quod personae contra Statutum receptae forent. Cum igitur postea Capitulum Ecclesiae Fritzlariensis in fraudem Statuti quasdam personas ad quatuor praebendas receperisset, collationem ipsarum Petrus, Archiepiscopus Moguntinus, anno 1312. sibi reseruabat, prouti apparet ex Referuacione quatuor praebendarum per Episcopum apud WÜRTWEIN. Subsid. Diplomat. Tom. I. N. XVIII. p. 191.

n) Testimonium est Confoederatio Cleri Moguntini pro tuenda immunitate sua de anno 1226. apud WÜRTWEIN. Subsid. Diplomat. Tom. XII. N. XCIV. p. 354. seqq.

o) Fons est Turnus maior de anno 1337. apud WÜRTWEIN. Subsid. Diplomatic. Tom. I. N. XXII. p. 204.

p) Statuta Ecclesiae Pinguisensis, quae post incendium grauiissimum anno

1403.

Et Conradus, Archiepiscopus Moguntinus, dispensationem Canoniciatum et praebendarum per Dioecesim Moguntinam Decanis et Capitulis competere proficiebatur.^{q)} Fuit ergo secundum ea, quae hucusque non nisi exempli loco allata sunt, ex communi Ecclesiarum exterarum et Germanicarum instituto collatio officiorum, Dignitatum et Beneficiarum minorum ab antiquis temporibus inde usque ad aevum Concordatorum Nationis Germanicae non a voluntate Pontificis Romani suspensa, sed inter Praesides et Capitula aut Collegia Ecclesiastica alias personas distributa.

At enim vero Pontifices Romani imperium suum, cui cunctas Ecclesias subdiderant, eo usque extendebant, ut iura ordinariorum collatorum circumscriberent prouisionemque de beneficiis ecclesiasticis a collatoribus ordinariis in se transference conarentur. Cuius quidem affectionis parua licet initia essent, post varia tamen conamina Pontificium tanta ea capiebat incrementa, ut metuendum esset, ne omnis prouisio ordinaria, ut in exteris Ecclesiis, ita in germanicis potissimum in desuetudinem abiret. Cooperant enim Pontifices Seculo saltem XII. rogare collatores ordinarios, ut viros, quos illi vel sponte patrocinio suo amplectebantur, vel ab aliis sibi commendatos habebant,^{r)} beneficio ecclesiastico locupletarent. Hinc Preces exorieruntur

1403. pristina Statuta et consuetudines Ecclesiae sanctando renouata sunt, apud WÜRTTWEIN. Subsid. Diplomatic. Tom. II. N. LXII. p. 338, seq. extant. Verba autem, quae hoc faciunt, p. 345. leguntur.

q) Conferatur *Conradi Archiepiscopi Moguntini Ordinatio inquirendi super modo nominandi ad Canonicas et praebendas apud WÜRTTWEIN. Subsid. Diplomatic. Tom. II. N. LXI.*

r) Nam Alexander III. ad preces Regis Francogallorum, Reginæ aliasunque magnarum personarum et Episcopi Meldensis Decano et Capitulo Parisiensi mandauit rogando, ut Philippum, Episcopi Meldensis nepotem ac suum Concanticum, investirent, prout legitur in *Alexandri III. Episcopalarum Appendic. II. N. CVII.* apud HARDVIN. Concilior. Tom. VI. Part. II. p. 1537. Coelestinus porro III. Ioannem Tornicellum, Subdiaconum papæ

bantur Apostolicae, quae ab auctoribus suis Preces affectuofae et
faepius Precum primitiae vocabantur. Nulla earum vestigia in
Literarum monumentis Seculo XII. vetustioribus deprehenduntur; sed
creberimus ipsarum per idem Seculum iam fuit usus. Preces enim
per plurimas ad diversarum Ecclesiarum collatores ordinarios dederunt
Hadrianus IV.^{s)} Alexander III.^{v)} Lucius III.^{v)} Coelestinus

H 3

III.,

papalem, ad preces Imperatoris Hen-
rici VI. et querundam Cardinalem de-
praebebat Ecclesiae Nouariensis in-
vestituit, Innocentio III. testante in
Literis ad Episcopum Laudum datis
apud BALVZIUM Epistolaram *Inno-
centii III.* Tom. I. Lib. I. Epist. XL.
p. 22. Ac ipse innocentius III pre-
cibus *H. uici Flandri*, *Imperatoris
Constantinopolitanus*, motus Presbyte-
rum quendam H., Iacobum Subdia-
conum et Petrum de Christo, nec
non alio anno Clericum G. ea mente
Patriarchae Constantinopolitano-com-
mendauit, ut iisdem in Ecclesia sua
beneficium praehendale conferre:
Confitetur id Pontifex ille in tribus
Literis apud FOSQVE TVM *Inno-
centii III. Epistolaram* Lib. I. Regest.
XII. Epist. XVII. et XIX. et apud
BALVZIUM Epistolam *Innocentii III.*
Tom. II. Lib. XIII. Epist. XVIII. et
XIX. p. 418. seq. et Lib. XII. Epist.
CXIII. p. 378.

s) Preces Hadrianus IV. ad Theo-
baldum, Parisensem Episcopum, de-
dit, ut per eum Hugoni, Ludouici
Regis Francogallorum Cancellario,
Personatus vel honor in Ecclesia Pa-
risensi vacaturus concederetur; id,
quod probant Literae Hadriani tres
apud HARDVIN. Concilior. Tom. VI.

Part. II. Epist. XIII. p. 1343 Epist.
XXIV. p. 1351. et Epist. XI. p. 1342.

t) Quatuor, quantum mihi constat,
preces Alexander II. direxit, unas
pro Heraeo Subdiacono ad Deca-
num et Canonicos S. Aniani Aurelia-
nensis, ut referunt in Magistri STE-
PHANI Abbatis S. Genouefae Par-
iensis, tum Episcopi Tornacensis,
Epistolam Epistola XC. ex edit.
CLAVGIO DV. MOTINET. Part. II.
p. 132; duas ad Abbatem St. Remi-
gii Rhemensem, alteras quippe pro
Magistro Uberto, alteras pro quodam
Clerico M.; quartas denique ad
Capitulum Parisense pro Philippo,
Episcopi Meldenensis nepote. Literae
precum reperiuntur in *Alexandri III.*
ad Petrum Abbatem S. Remigii et alios
Epistolae. Epist. VII. et XLIII. apud
IAC. SIRMONDVM, Operum Variorum
Tom. III. p. 1298. et 1336., ut
et in *Alexandri III. Epistolaram* Ap-
pendice I. apud HARDVIN. Conci-
lior. Tom. VI Part. II. N. VII. et
XLIII. p. 1432. et 1458, et ibidem
Appendic. II. N. CVIII. p. 1537.

v) Lucii III. suspicor preces fuisse
duas, quas STEPHANVS a Papa
pro Guillermo, Papae Scriptore, ad
Episcopum Aurelianensem, et pro
Ioan-

III.,^{x)} Innocentius III.,^{y)} et Honorius III.^{z)} Qui quidem Pontifices cum munificentiam de re aliena exercent, collatores ordinarii, qui huiusmo-

Ioanne Clerico ad Capitulum S. Crucis Aurelianensis data esse scribit in *Epistolarum suarum Epistola XCII. et XCIV. ex edit. DV MOLINET' Part. II. p. 134. et 165.*

x) Coelestinus III. multas preceps, ad Capitulum nempe S. Iuuenici Papense pro Carnelo Clerico, ad Capitulum Cameracense pro Thebaldo Presbytero, ad Capitulum Pittauense pro Willielmo de Marchejo, ad Capitulum Beneuentanum pro Alberto Subdiacono papali, ad Ecclesiam Xantonensem pro W. Rofio Subdiacono papali ac Magistro Constatino Natali, et ad Praepositum Ecclesiae Insulanae pro Magistro C. Quarum quidem precum mentio fit apud *BALVZIVM Epistolarum Innocentii VII. Tom. I. Lib. I. Epist. CXVI. p. 65. Epist. CXXVII. p. 72. Epist. CXLV. p. 78. Epist. CCLVIII. p. 135. Epist. CCCCLXXVII. p. 274. et Lib. II. Epist. CLXXXIII. p. 449.*

y) Preces bene multae innotuerunt, quas dedit Innocentius III., scilicet, ad Capitulum Toletanum pro Andrea de Gabiniano, ad Patriarcham Constantinopolitanum pro H. Presbytero, Iacobo Subdiacono et Petro de Christo, ad Ecclesiam Xantonensem pro Magistro R. Boue, ad Capitulum Piuvense pro Clerico W., ad Capitulum Perragoricense pro Magistro I. de Veteri Morolio, ad Capitulum Massiliense pro Magistro Raimundo

Scriptore papali, ad Capitulum Laudunense pro Leonardo Innocentii III. consanguineo, ad Archiepiscopum Mediolanensem pro Henrico Subdiacono papali, ad Capitulum Lemouicense pro Magistro Petro Chalboini, ad Archiepiscopum Mediolanensem pro Bonacola Clerico, ad Episcopum et Canonicos Hyporienses pro Iohannem Subdiaconum Pontificis, ad Capitulum Eboratensem pro M. Petro de Corbilio, ad Capitulum Tripolitanum pro Raimundo Clerico, ad Episcopum Aurelianensem pro D. de Corbilio, ad Praepositum et Fratres S. Stephanii in Brolio pro Al. Marcellino Subdiacono papali, ad Praepositum et Canonicos S. Antonini Placentinos pro T. Clerico, ad Patriarcham Constantinopolitanum pro Clerico G., et ad Episcopum Engolismensem pro Mag. G. de Sancto Sigismundo Diacono. Documenta harum precum obvia sunt apud *BOSQVETVM Innocentii III. Epistolarum Lib. I. Regest. XIII. Epist. IX. et X. Epist. XVIII. et XIX. Lib. II. Regest. XIV. Epist. LXXXII. Lib. III. Regest. XV. Epist. XXIII. XLV. Lib. IV. Regest. XVI. Epist. XXVII. et CLXIII. LIV. nec non apud *BALVZIVM Epistolarum Innocentii III. Tom. II. Lib. XIII. Epist. IX. et X. p. 411. Epist. XVIII. et XIX. p. 418. seq. Lib. XIV. Epist. LXXXIII. p. 543. Lib. XV. Epist. XXXII. p. 608. Epist. XCVII. p. 634. Lib. XVI. Epist. XXVII. p. 752. et Epist. CLXIII. p. 826. Epist. LIV. p. 774. Tom. I. Lib. I. Epist.**

iusmodi liberalitate parum delectabantur, preces Apostolicas, si vel maxime primitiae essent, haud raro auersabantur, monitionesque precibus admixtas parui pendebat. Quocirca Pontifices, fratrum et filiorum immorigerorum impatientes et ab aliis etiam Clericis ad iracundiam in illos nonnunquam incitati,^{a)} preces in praecpta et minas transfigurabant. Ac si animum collatorum, ut si fieri solebat, nec praecipiendo nec minitando mouere valerent, Clericos potentiores ac seculares etiam homines deputabant, qui preces ecclesiasticis et profanis armis exequenterunt. Quoniam autem tantis Literarum ambagibus Curia Romana defatigabatur, euenit, ut precibus modo admonitio ac praecemptum, modo simul nominatio executorum adspergeretur, precumque, via iamiam pertrita, nulla amplius mentio iniiceretur.^{b)}

Ex-

Epist. CXX. p. 69. Epist. CCCIV. p. 165. Epist. CCCXV. p. 170. Epist. CCCXXXIX. pag. 196. Epist. CCCCLXXVIII. CCCCLXXXIX et CCCCLXXX. p. 275. seqq. Epist. DXXIX. p. 200. Lib. II. Epist. LI. p. 365. Epist. CCLXVII. p. 514. Lib. V. Epist. LXXIII. p. 660. Tom. II. Lib. XII. Epist. CXII. p. 378. et Lib. XVI. Epist. LX. p. 776.

^{a)} In vnas tantum Honorii III, sub initium Seculi XIII. Pontificis, preces incidi, quae pro Clerico G. ad Capitulum Andegauense porrectae comemorantur c. 34. X. de praebendis et dignitatibus, et apud WÜRTWEIN, Subsid. Diplomaz. Tom. IV. praefat.

^{a)} Heruaceum quendam Alexander III. Decano et Canonici S. Aniani Aurelianensis commendauerat tanquam iuuenem dignum, cui beneficium ecclesiasticum conferretur. Sed Decanus et Canonici beneficium recu-

sauerant. Proinde Alexandri successor, Lucius III., preces repetierat. Verum collatores illi nec Lucii preces exaudiuerant. Vnde Stephanus, Abbas S. Genouefae Parisiensis et postea Episcopus Tornacensis, qui Heruao fauebat, Lucium Literis excitauit: Scripsi, aiens, pro eo felicis recordationis Patr Alexander Decano et Canonici S. Aniani Aurelianensis. Scripsisti et vos primo et secundo. Sed neque preces neque praecemptum vestrum, quamvis tres praebendas vacarent, voluerant audire. Absit, Pater, et inanes sint preces vestrae, contemptibilis auctoritas, elusorum praecemptum, et nunc demum tanta, si placet, virtute intoner super eos Maiestas vestra, ut qui blanditiis invari non potuerunt, imperio discant vincit. Extant hae Literae in EIVS-DEM Epistolis ex edit. DV MOLINET. Part. II. Epist. XC. p. 132.

^{b)} Iuris pontificii Interpretes antiquiores ad usum, quem Curia Romana

ratio.

Exhinc prodierunt Mandata de prouidendo apostolica, quibus Pontifices collatoribus ordinariis personas beneficio ecclesiastico ditandas praesentabant, ac prouisionem executorum ope peragen-dam iniungebant. Ex Mandatis vero tandem enatae sunt Gratiae expectatiuae, sive, Literae, quibus Pontifices beneficia quaedam ecclesiastica, quae iam vacabant aut olim vacatura erant, prouisione ordinaria suspendenda, in gratiam certarum personarum donationi suae referuabant. Preces igitur apostolicae postquam in Gratias expectatiuae degenerauerant, usurpationi pontificiae nec modus erat nec finis. Quare et GOMESIUS, licet Sacri Palati Apostolici causarum Auditor esset, fese cohibere nequibat, quominus Seculo XVI. indi-gnabundus scriberet: *Tenenda est igitur opinio, quod sole executorie*
(scilicet)

ratione precum apostolicarum obser-vauerat, attentes triplex Literarum genus discernebant, *Literas monitorias, praeceptorias et executorias.* Monitorias dicebant, quibus preces papales de beneficio aliqui conferendo cum admonitione continebantur; praeceptorias, quibus prouisio in viuitatem eius, pro quo preces datae fu-erant, auctoritate Apostolica iniungebatur; et executorias, quibus prouisionis recusatae executores constituebantur. Monitoriae cum praecoptoriis, et viraeque rursus cum executo-riis conflabantur, sed pro re tamen nata et pro animo Pontificum tem-pore inverso. Nam post Innocentium III. sub Honorio III. eiusque succe-sore Gregorio IX. vltis trium Literarum adhuc obtinuit, quantum appa-rebat ex c. 30. et 37. X. de Rescriptis. Contra vero sub Hadriano IV., qui ante Innocentium III., et sub In-nocentio III., qui ante Honорium III. Pontificatus Romano praecorat,

nec non sub Honorio III. preces et praecpta coniunctim dabantur nomenque Mandati fortis solebant, vt confit ex Hadriano IV. Epistola-rum Epistola XXIV. apud HARDVIN. Concilior. Tom. VI. Part. II. p. 1251.; ex Epistolis Innocentii III. apud BA-LVZIVM Tom. II. Lib. XIII. Epist. IX. p. 411. Lib. XIV. Epist. LXXXIII. p. 543. Lib. XV. Epist. XCIVII. p. 634. Lib. XVI. Epist. LIX. p. 776; et ex c. 34. X. de praebendis et dignitatibus. Coelestinus denique III., qui Innocentium immediate antecesserat, Bernardo Clerico praebendam Ecclesiae Tornacensis pro arbitrio suo con-cedebat, eumque de ea ipse inuesti-bat, adeo, ut preces, praecpta et executionem illo actu quedammodo copularet. Testis est Innocentius III. in Epistolarum suarum Epistola CXIC. apud BALVZIVM Tom. I. Lib. I. p. 67. Igitur post Gregorium IX. Mandata, quae supra descripta sunt, in locum trium Literarum substituebantur.

(scilicet Literae Pontificiae) hodie sunt in usu, que adeo iam inualuerunt, quod videntur ad instar pluie ex ubertate sedis Apostolice emanantis, quae indies magis germinant quam herba graminea, in graue ordinario-rum collatorum damnum et priuidicium. Ex concessione enim earum innumerata pene incommoda suborta sunt in ecclesia Dei. — Adeo enim ex-pectatiuarum crevit usus, quod regule antiquorum Pontificum nihil fere aliud, quam expeditatiuarum ordinationes continebant. Nec mirum, quo-niam hec materia expeditatiuarum et beneficialis — habet in se lac, lanam, pellen et carnes, id est, abundantiam temporalium. ^{c)} Pontifices quip-pe, uno alteroue beneficio, quod occasione Gratiarum expectatiua-rum in quadam Ecclesia donationi suae vindicabant, neutiquam con-tenti, collatorum ordinariorum iuri vim tantam inferebant, ut plura simul beneficia per dioeceses singulasque Ecclesias vel in Literis pecu-liaribus ^{d)} vel in Regulis, quae vocabantur, Cancellariae pro lubitu dispensationi suae referuarent. Ac ne affectionem papalem cumu-lus deficeret, praeter has Reseruationes, quas Apostolicae preces per Gratias expectatiuas progenuerant, quasque Ecclesia epitheto Specia-lium distinguere solebat, alias aeque exitiosas Reseruationes prava Curiae Romanae consuetudo et sanctio considerant. Quicquid enim Dignitatum, Decanatum, Personatum, Administrationum, Offi-ciorum, Canonicatum, Praebendarum ac reliquorum beneficiorum eccl.

c) D. LUDOVIC. GOMESIVS, Episcopus Sarnensis, Sacri Palatii Apo-stolici caularum Auditor, in *Tractatu s. Compendio gratiarum expectatiuarum* (quod post annum 1538. conscripsit) n. 6. seq., in *Tractatum Tom. IV.* p. 356. seq.

d) Ne acquiescebant quidem bene-ficiis suae donationi referuandis; imo

concedebant aliis quoque, Clericis et Laicis, huismodi reseruationes. Pertinet hoc Indulta, supra §. XXII. et ibi not. (l) et (o) commemorata, quibus Henrico VII., Romanorum Regi, nominatio ad XV. beneficia re-feruata, et Theodorico, Archiepisco-po Moguntino, reseruatio XXV. be-neficiorum ab Eugenio IV. anno 1435, tribuebatur.

ecclesiasticorum in personis, quae vel Curiae Romanae vlo titulo adscriptae essent, vel peregre accedentes in loco Curiae aut in loco ab ea non ultra duas diaetas distante morerentur, vacaturum esset, id Clemens XIV. et Benedictus XII., spreta ordinaria collatione, prouisioni papali referuabant.^{e)} Ante Benedictum vero Iohannes XXII. abusum quidem cumulatae beneficiorum possessionis corrigebat, sed in Pontificum magis, quam in collatorum ordinariorū utilitatem. Constituebat namque, vt, qui plura beneficia cum Cura, Dignitate et Officiis aut sine eis possideret, omnia, uno tantum simul cum Cura aut Dignitate aut Officio, si ex dispensatione legitima teneret, a se electo, et, si absque dispensatione possideret, ultimo, quod canonica collatione accepisset, retento, intra mensē dimitteret, contumax vero cuncta perditum iret. At beneficia, quae hac ratione dimissa aut perdita forent, non, vti par erat, prouisioni ordinariae relinquebat, sed collationi papali contra, quam fas erat, referuabat.^{f)} Potestas itaque conferendi ordinaria per hasce Reseruationes, quae nominabantur generales, aequa ac per Referuationes speciales et Gratias expectatiuas cancellis adeo angustis circumscribebatur, vt propemodum extra ordinem exerceri videretur. Nec a molestia Gratiarum expectatiuarum alia collatoribus ordinariis dabantur refugia, quam exemptiones ab iisdem Gratii poenisque inobedientiae ecclesiasticis a Cura Romana passim indultaes.^{g)} Quae tamen cum ex illa plenitudine potesta-

e) c. 2. de praebendis et dignitatibus in Vito et c. 13. Extraug. Commun. de praebendis et dignitatibus.

f) Extraug. Execrabilis, cap. vnic. de praebendis et dignitatibus; et c. 4. Extraug. Commun. de praebendis et dignitatibus,

g) Collatores ordinarios a Pontificibus exemptionem a Gratias expectatiis et Cenfuris canonicis, quibus adversarii Gratiarum istarum ad obedientiam compelli solebant, petuisse et impetrasse, clausulae comprobant, quae Literis gratiarum inserebantur ita fere concepisse: Non obfanibus, si a sede Apostolica sit indultum, quod (colla-

potestatis, quam Pontifices tanquam titulum suarum Gratiarum expletivarum et utriusque generis Reservationum praedicare amabant, repeterentur, mutabiles semper erant et incerti euentus. Plenitudinis enim potestatis ea vis esse statuebatur, ut auctoritatis papalis esset, affectare et donare, quod extraneo quaesitum esset, recedere a promisso et rumpere pactum, soluere lege diuina et humana, iustumque conuertere in nefas, et, quod fieri nefas esset, pronuntiare iustum.^{b)}

Iam Ecclesiae Germanicae et extraneae onera, quae Curia Romana ipsis hactenus imposuerat, discutere cupientes ad Concilium prouocabant, et omnem tutelae suaē fiduciam Patribus habebant, qui anno MCCCCXIV. Constantiam et anno MCCCCXXXI. Basileana conuocabantur. Multa in rem Ecclesiarum a Concilio Basileensi da-

I 2

bantur

(collatores, ad quorum beneficia Gratiae datae erant) ad receptionem vel prouisionem alicuius minime zeneantur et ad id compelli, aut quod interdicti, suspendi vel excommunicari non possint. Conferantur praeter alias Literas *Gratia expectativa a Gregorio XII. ad Ecclesiam Fridslariensem concessa de anno 1407.*, et *Gratia expectativa ab Engelio IV. in favorem Andree Grinzingen Canonici Ecclesie sancti Petri Fritzlar. Mag. Dioc. concessa de anno 1431.* apud WÜRDWEIN. Subsid. Diplomat. Tom. V. N. II. et VI. p. 4. et 15.

b) Diu ante initia precum papalium Pontifices doctrinam de plenitudine potestatis sibi competente praedicarunt, et Episcopis haud raro incredulis inculcarunt. Hos enim Gregorius, Virgilius et Leo tradebant secum quidem in partem sollicitudinis, neutram vero in plenitudinem potestatis vocatos esse. c. II. 12. C. II. q. 6. et c. 8. C. III. q. 6. Proinde se omnium causarum ecclesiasticarum indices sum-

mos esse promulgabant, ad quos a sententia Episcoporum provocacioni locus daretur. Neque difficile erat ex Plenitudine potestatis noua et antea inaudita iura haurire, quotiescumque e re pontifica esse videretur. Quia de causa nemo sane mirabitur, quod, precibus aliquamdiu ad varios collatores direcis, partim Innocentius III. duabus in Literis, quae extant inter Eiusdem Epistolas apud BALVZIVM Tom. I. Lib. I. Epist. CCXVIII. et CCCXXXVII. p. 135. et 195., ex plenitudine potestatis circa prouisionem beneficiorum ecclesiasticorum plus juris, quam meram precondi licentiam sibi esse scribebat, partim Clemens IV. et V. Seculo XIII. et XIV. edicenter, liberam ac plenariam omnium beneficiorum ecclesiasticorum dispositionem ex eadem plenitudine potestatis ad Pontificem Romanum pertinere. c. 2. de praebendis et dignitatibus in Vito, et c. 1. Clementiar. vt liceat pendente.

bantur Decreta, quorum viginti sex ab Imperatore Alberto II. et non nullis Germaniae Principibus in usum Ecclesiarum Germanicarum Moguntiae anno MCCCCXXXIX., additis tamen quibusdam limitationibus, acceptabantur.ⁱ⁾ Inter haec duo eminebant, quibus provisio ordinaria Ecclesiae non quidem integra, at parum tamen limitata recuperabatur. Altero enim omnes Pontificum Referuationes speciales vetabantur; altero autem Gratiae expectatiuae et Nominationes paupares ad unum beneficium collatoris, cui collatio decem beneficiorum esset, et ad duo beneficia eius restringebantur, cui potestas quinquaginta vel plura beneficia conferendi competeteret.^{k)} Sed repudiat Eugenius IV. ipsum Concilium Basileense, et reprobabat, quicquid ab eo decernebatur. Improbabat igitur et Decreta, quae acceptaverant Germani. Neque ea posthac alia sub lege agnoscebat, quam ut ipsi in locum Annatarum, ex iisdem Decretis amissatum, prouisio peculiaris ab Ecclesiae Germanicis spondereetur.^{l)} Qua de re ut in emolumentum Curiae Romanae transfigeretur, Nicolaus V., Eugenii IV. successor, Legatum in Germaniam anno MCCCCXLVII. mittebat. Quocum caula per Aeneam Sylvium sub auspiciis Friderici III. Vindobonae aliquamdiu acta, inter Fridericum nomine Imperii sive Ecclesiarum Imperii et Nicolaum V. in eadem Urbe die XVII. Februarii anno MCCCCXLVIII. pactum inibatur, quod deinde a Nicolaio V. in Bulla de die XIX. Martii anno MCCCCXLVIII. confirmabatur,

tur,

i) Videantur *Tabulae Sanctionis pragmatice Germanorum sub Alberto II. in Comitiis Moguntiniis anno 1439. conditae apud KOCHIVM Sanctionis Pragmaticae Germanorum illustratae Syllog. Documentor. N. II.*

k) Inspiciantur *Tabulae Sanctionis Pragmaticae Germanorum de anno 1439. d. 26. Martii. Tit. XXII. et XXV. Cap. I. §. 2—4. apud KOCHI-*

VM Sanctionis Pragmaticae Germanor. illustratae Syllog. Documentor. N. II.

l) Eugenio IV. paucis diebus post acceptionem 26. Decretorum defuncto, Nicolaus V., in eius locum cooptatus, omnia ab Eugenio gesta statim confirmavit *Bulla V. Kal. April. 1447. data, quae reperitur apud KOCHIVM Sanct. Pragmat. Germanor. illustrat. Syllog. Documentor. N. XL.*

tur,^{m)} et hodiensem titulo Concordatorum Nationis Germanicae celebratur.ⁿ⁾ Prouisio autem, quam Pontifex sibi et successoribus suis in Concordatis stipulabatur, iacturam collationum et reddituum, quam Sedes papalis iusta Concilii Basileensis sanctione, a Germanis approbata, fecerat, non modo exaequabat, sed longe adeo superabat. Etenim, praeter Reservationes generales, quas Pontifices in Synodis et Constitutionibus ante Concordata sibi addixerant, Curiae Romanae et ius Annatarum restituebatur et collatio omnium, quae nec in Ecclesiis Cathedralibus post Dignitatem pontificalem maiores, nec in Ecclesiis Collegiatis principales essent, Dignitatum ac Beneficiorum minorum, quotannis intra menses Ianuarii, Martii, Maii, Iulii, Septembri et Nouembri per Ecclesias Germanicas vacaturorum, insuper cedebatur.^{o)}

Fata igitur prouisionis ordinariae et Concordatorum historia atque argumentum manifesto demonstrant, causam in Concordatis non inter Fridericum, sed inter Pontificem et Ecclesias Imperii compositam, nec de iure precum primiarum imperiali, verum de beneficiorum ecclesiasticorum collatione inter Pontificem et Collatores ordinarios distribuenda transactum esse. Quapropter haud erit, qui miretur, quod de iure precum primiarum nullus uspiam in Concordatis fuerit sermo. Preces enim imperiales cum ab argomento Concordatorum longe abessent, qui fieri poterat, ut Fridericus causae alienae, quam non actoris, sed Patroni nomine agebat, suam admisceri vellet, vt-

I 3

pote

^{m)} Bulla Nicolai V. extat apud KOCHIVM Sanct. Pragmat. Germanor. illustrat. Syllog. Documentor. N. XV.

ⁿ⁾ Concordata Nationis Germaniae non Aschaffenburgi, sed Vindobonae composita esse, rationibus probavit KOCHIVS Sanct. Pragmat. Germanor.

manor. illustrat. Syllog. Documentor. N. XIV. Not. 3. p. 211.

^{o)} Formula Concordatorum genitina exhibetur a WÜRDWEINIO Subsid Diplomat. Tom. IX. N. IX. p. 78. et a KOCHIO Sanct. Pragmat. Germanor. illustrat. Syllog. Documentor. N. XIV.

pote quam nec cum collatoribus ordinariis, nec cum Pontifice controversam habebat? Proclamat quidem BRANDIVS^{p)} ad discordias, quas precum primiarum vſus, Concordatis nondum initis, inter collatores et Imperatores excitauerit; singitque proinde, collatores tempore Concordatorum libertatem collationis suae contra quemcunque, Imperatorem aequae ac Pontificem, vindicatum abiisse. Sed frustra penes ipsum quaeſiueris argumenta, vnde rite probetur, consuetudinem precum primiarum, quam et A CHOKIER agnouit,^{q)} a collatoribus in item vocatam, vel a Patribus Concilii Basileensis in Decreto, quo ius precum primiarum Sigismundo tanquam ius consuetudinaria adseruere, efficitam esse. Quid enim attinet, cum BRANDIO^{r)} repeteret, quod preces Imperatorum hic illic difficiles collatorum aures offendenterint, nisi euincatur simul, quod sub tempora Concordatis proxima nullus collator Precistam imperiale ad beneficium admiserit, et, qui preces reiecerit, is causam difficultatis non tam Gratias expectatiuas et Referuationes papales, quam consuetudinis inanitatem habuerit? Aut quid refert, cum eodem BRANDIO^{s)} dubitare, quin Decretum Concilii Basileensis a Germanis fuerit receptum, cum sufficiat ex eo cognouisse, quod Patres Concilii de consuetudine sibi persuaserint, quam Sigismundus iuris precum primiarum fundamentum esse perhibuerat? Quanto longius autem controuersia, quam Collatores ordinarii Imperatoribus, ius precum primiarum exercentibus, sub tempora Concordatorum mouisse dicuntur, a veritate historica abest, tanto longius a vero aberrabit, qui Imperatoribus, cum Pontificibus de iure precum primiarum ante Concordata

contro-

p) In Dissert. de iure caſareo pri-
mariarum precum. Cap. II. §. VIII.
apud SCHMIDT. Thesaur. Iuris Ec-
clesiastic. Tom. V. p. 156.

q) In Scholis in primarias preces
Imperatoris. Sect. IV. p. 59, seq.

r) Loco laudat. Cap. I. §. VIII. p.
136. et Cap. II. §. V. p. 152.

s) Loco commemorat. Cap. I. §.
XVI. p. 133. et Cap. II. §. V. p. 152.

controuersiam fuisse affirmet. Praesentarunt enim Imperatores a primordiis precum inde usque ad pacatum illud non Pontificibus, sed iis, penes quos in Ecclesiis Imperii collatio beneficiorum ordinaria erat. Usui vero precum imperialium Pontifices ante idem pacatum contradicendo renitos esse, nullus Scriptor docere hucusque sustinuit. Ratio itaque cum ante, quam Concordata conscriberentur, nulla omnino esset, ob quam in iis mentio iuris precum primariarum fieret; silentium, quo Fridericus III. id ipsum merito praeterit, a CLEMENTE XI., OLIGENIO et BRANDIO non sine iniquitate logica in detrimentum precum caesarearum trahitur. Si vero non erat, cur Imperator cum Pontifice aut Collatoribus ordinariis de iure precum in Concordatis transigeret; omne, necesse erat, Concordatorum argumentum saluis precibus caesareis caperetur, nisi eius esset indolis, ut cum precibus simpliciter pugnaret. Atque autem CLEMENS XI., OLIGENIVS et BRANDIVS, Concordata et preces imperiales sibi inuicem repugnasse, quoniam harum exercitio eversa sit libertas electionum et collationum, quae in illis Pontifici et Collatoribus ordinariis sit addicta. Enimvero nitebatur ius precum primariarum consuetudine, cuius potestas beneficia Ecclesiarum Germanicarum, non personas Collatorum afficiebat. Mutandis igitur per Concordata Collatorum personis, non simul mutabatur consuetudo. Quare transactio de collatione beneficiorum, cum pro indole argumenti sui consuetudinem nec interrumperet nec e medio tolleret, salvo iure Imperatoris siebat, adeo, ut illud silentio, quo ab auctoribus transactionis praetermissum fuerat, stabiliretur magis, quam irritum caderet.^{t)} Precibus enim imperia-

t) BRANDIO igitur, collationem quorundam beneficiorum in Concordatis Pontifici Romano referuatam iuri precum primariarum obfusse existimanti in Diffr. *de iure caesareo primariarum precum. Cap. II. §. VII. IX. et X.*

insto plus tribuit AYRERVS, dum in Diffr. *de iure primariar. prec. caesar. reo in foundationibus Imperii mediatis. §. VIII.* concedit, beneficia, Sedi Apostolicae dudum ante Concordata et in his denuo contra quoscunque colla-

imperialibus libertatem collationum; de quibus inter Pontificem et Collatores ordinarios conueniebat, non arctius, quam pro consuetudine antiqua licebat, restringentibus, num Fridericus III. tum, cum transigebatur, iuri suo renunciare videbatur, nisi mentem suam ea de re verbis exprimeret?^{v)}

Sed

collatores expresse reseruata, precibus primariis imperialibus haud obnoxia fuisse, quippe cum ab iis Imperatores ob consensum in istam reservationem sponte se abstinuerint. Etenim Reseruatio papalis ante Concordata et in iis contra Collatores ordinarios, non contra Imperatores obtinebat, ut pote qui nec ante Concordata fuerant nec tempore ipsorum erant collatores. Consensus igitur Friderici III. qua Patroni Ecclesiarum et Collatorum ordinariorum in Reservationem papalem beneficia, collationi papali reseruata, a precibus primariis haud eximebat. Prinde, si beneficia illa tempore Concordatorum a iure precum imperialium immunia erant, exēmio non a consensu Friderici in Reservationem, sed a consuetudine penēbat, ex qua Imperatores ante Concordata sese, dum ius suum exercerent, a beneficiis reseruatis abstinuerant. Prout autem AYRERVS cum BRANDIO male consentit, ita etiam in memorata Dissertat. §. IX. male, vt sponte apparuit, existimat, Fridericum III. ea ex causa adhibuisse Indultum pale, vt preces suas ad ea quoque beneficia extendere posset, quae Sedi Apostolicae reseruata essent.

v) Refert L. B. DE SENKENBERG in Tractat. de iure primarum

precum, Part. II. §. XLI. ex BARTHELIo et CHRISTINAEo, Ecclesiis Treuirensem et Bambergensem Concordata haud acceptasse; at nihilominus tamen preces primariae in iis vigere. Concludit ergo exinde, quod preces primariae ante Concordata viguerint et, nulli dubio subiectae, argumentum Concordatorum ingredi nequiverint, si vel ipse Imperator cum collatoribus de villa alia re transegisset. Enimvero consentiunt quidem FRANCISC. ZYPAEVS in Iuris Pontifici noui analytica enarratione Lib. III. Tit. de Institutionibus. n. 11. Operum EIVSO. Tom. I. p. 98., PAVL. CHRISTINAEVS in Decisionibus Curiae Belgicae Vol. I. Decif. CCCLVIII. n. 13. p. 448.; BARTHELIVS in Dissert. generali de Concordatis Germaniae Cap. II. Seſt. I. §. IV. Opusculor. Juridic. Tom. II. Opusc. III. p. 326. et in Dissert. speciali de Concordatis Germaniae. Cap. IV. §. XXXI. Opusculor. recentior. Part. I. p. 249., et KOCHIUS in Sanctione Pragmatica Germanorum illustrata. Syllog. Documentor. p. 230. not. 69.), ab Ecclesiis Heribolensi et Bambergensi Concordata quoad alternationem mensium haud recepta esse. Sed licet exhibe recte colligatur, preces primariae, quae in illis Ecclesiis post Concordata adhuc lo-

cum

Sed etiam si neque silentium neque Concordatorum argumentum vel indoles iuri precum primariarum obstabat, causa tamen, quae de integritate precum imperialium agitur, amplianda videtur. OLIGENIUS enim et BRANDIVS excipiunt opinionem vniuersae Nationis Germanicae, Collatorum ordinariorum et Friderici III., quippe quos existimasse volunt, quod preces primariae Imperatorum Concordatis ineundis penitus expirauerint. Neque vero inficiari licet, Collatores ordinarios post Concordata de precibus et nominationibus, quas Fridericus III. ad beneficia, in mensibus ipsorum vacantia, dederat, tanquam de violatione Concordatorum conquestos esse. Nam Nicolaus V., in Indulto secundo Concordatis derogans, aut nihil prorsus aut id profecto egit, ut exceptionem Concordatorum cum precibus primariis pugnantium, quam Collatores Preciosis imperialibus opposuerant, deleret.^{x)} Eadem ob causam Sixtus IV. in Indulto, quo Imperatori Friderico III. concessit facultatem nominandi CCC. personas ad beneficia quocunque mense vacantia, prouidit, ne Concordata euentui nominationum caesarearum impedimentum inferrent.^{y)} No-

verat

cum habuisset dicuntur, iam ante Concordata viguisse; tamen verendum est, ne aduelarii hoc argumentum in rem suam trahant atque concludant, quod Ecclesiae Heribolensis et Bambergensis post Concordata propter negligendum ipsorum usum iuri precum imperialium subnoxiae permanerint, reliquae vero Ecclesiae per acceptationem Concordatorum pristinam libertatem recuperarint, adeo, ut preces primariae argumentum paci illius vere ingressae sint.

x) Videatur supra §. XX. et ibidem not. (c).

y) Indulti Sixti IV., de quo supra §. XXII, et ibi not. (p) actum est, particulae, quae ad rem faciunt, apud SENKENBERG, in Tract. de iure primarum precum Codic. Probat. Adiunct. XXXVIII. p. 42. et 44. sunt haec: *Referendo deuocione vestre* (Archiepiscopo Maguntinensi et Episcopo Wiennensi) *apostolica Auctoritate ex plenitudine potestatis — pro tricensi personis ecclesiasticis ydoneis, quas ipse Imperator (Fridericus III.) vel aliqui vestrum duxerit nominandas — totidem beneficia ecclesiastica, — etiam si in aliquo vel aliquibus ex mense vel mensibus, in quibus beneficiorum colla-*

K

cio

verat Capitulum Ecclesiae Spirensis, Concordata aduersus huiusmodi nominationes sibi praesidio esse. Proinde nominationem caesaream ea demum lege admisit, ut vsls eius ad beneficium in mensibus papalibus vacans restringeretur.²⁾ Nulli etiam dubitabant collatores Ecclesiae Moguntinae, Treurensis et Colonensis, quin nominationes Friderici III. in detrimentum Concordatorum vergerent. Propterea Constituent, quo conuenerant, indici Grauaminum, ex vrbe Roma in Germaniam emergentium, inservere querelam: Item eisdem (Concordatis) derogatur per nominationes Imperiales.³⁾ Enimvero animaduertendum est, querimonias collatorum ordinariorum de Concordatis, per preces Imperatoris violatis, non prius auditas esse, quam Imperator primum Indultum a Nicolao V. impetrasset. Nullam enim constat Indulto hoc contineri Concordatorum derogationem, quam tamen Pontifex, si collatores Preciosis caesareis Concordata excipiendo opoluisse, nequitquam omisisset. Causa igitur, ob quam collatores Concordatorum potestatem per preces imperiales deminui clamarunt, non preces fuerunt, sed Indultum papale, sive, quod idem est, non preces

vio ad ordinarios collatores iuxta Constitutionem vel ordinacionem per Nos vel Antecessores nostros Romanos Pontifices defuimus editas pertineant. — Et infra: Non obstantibus quibuscumque privilegiis, prerogatiis, antelacionibus, Indultis, Ordinacionibus etiam Apostolice Sedis seu Concordatorum cum Germanica Natione, Exceptionibus, statutis et Concessionibus etc.

z) Adduntur Processui, nominationem ad beneficium Ecclesiae Spirensis concernenti, apud SENKENBERG. loco ante excitat Adiunct. XXXVIII. verba, quae sequuntur: Presentatio per Iohannem Siromar et Conradum Dors et Io. Schenck in pro-

fencia Friderici Schwenck et Gabrieli et Io. Murer Laici, qui addixit et renunciavit, quod illa nominatione solam in mensibus papalibus vii velles.

a) Videantur Grauamina des Trierischen Cleri in den Erzstiftern Mayne, Trier und Cöln wider des Römischen Stuhls und seiner Courtisanen vielzahlige Contraventiones und Ueberireungen der Concordatorum Nationis Germanicae, wie solche auf der Zusammenkunft zu Coblenz Anno 1479, entworen worden, apud LÜNIGIVM Spicileg. Ecclesiastic. Part. I. Cap. I. N. CLXXXII. §. 33 p. 354; et apud LEIBNITZIVM Codic. Iuris Gentium Diplomatici N. CXLII, p. 439.

preces seorsim speciales, verum preces Indulto papali munerae. Nam, mente Friderici genioque Indulti minus penetratis, collatores opinati sunt, preces primarias Concordatis eatenus obesse, quatenus darentur ex Indulto Pontificis, cui in beneficia, mensibus ordinariis vacantia, neque vis amplius efficit neque potestas. A precibus autem primariis longe absuerunt nominationes, quippe Reservationibus Pontificum specialibus mixae. His in Decretis Concilii Basileensis, quae Germani acceptarant, interdictis et in Concordatis simul cum mensibus papalibus commutatis, nulla post Concordata Pontifici erat facultas concedendi nominationes ad beneficia, quae non papalibus, sed ordinariis mensibus vacarent. Quas igitur nominationes Sextus IV. Friderico indulserat, eae, cum Concordatis omnino aduersarentur, a collatoribus merito sunt reieclae. Querimoniae autem, a collatoribus de nominationibus imperialibus diuulgatae, haud attigerunt preces, ab Imperatore post transactionem directas. Errant itaque OLIGENIVS et BRANDIVS autem, preces primarias vniuersae Nationis Germanicae et collatorum opinione per Concordata extincias esse. Neque vero dicere ausim, in opinione Friderici III., ad quam OLIGENIVS et BRANDIVS recurrent, plus adminiculi inesse, quam in opinione Germanicae Nationis. Opinio namque Imperatoris tanta, quanta fuisse perhibetur, a conjecturis Virorum illorum suspenditur, siquidem desunt opinionis specimina, quae iidem ob oculos ponant. Fridericum autem Concordata pro perpetuo iuris precum primariarum exitio habuisse, propterea coniiciunt, quod, collatoribus preces primarias post primum Nicolai V. Indultum spernentibus, non ad consuetudinem Antecessorum prouocauerit, sed potius novum Indultum, quo missa consuetudine antiqua, Concordatis derogaretur, a Nicolao petierit, ac in Indultis non solum beneficia, in Constitutione ad Regimen recensita, verum et alia quaedam a iure precum primariarum eximi passus sit. Atqui Fridericum preces suas aduersus exceptiones collatorum consuetudine Antecessorum alleganda defendisse, OLIGE-

NIVS nec affirmare nec negare potuit, quoniam, quid fecerit Imperator, et ipse ignorauit, et hodie penitus nescitur.^{b)} Quin frustra adeo Fridericus consuetudinem in auxilium vocasset, siquidem collatores non illam, sed preces Indulto instructas impugnauerant, isque male probat, qui probat id, quod aduersarius nequaquam impugnavit. Erat potius Imperatoris, rogare Nicolaum V., ut remoueret obstacula, quae precibus primariis indulgendo obiecerat. Horum censu cum non reprobatio consuetudinis antiquae, vtpote quam collatores agnoscebant, verum violentia veniret, qua Nicolaus liberam collationem beneficiorum, mensibus ordinariis vacantium, turbasse integratemque Concordatorum vitiasse videbatur; quid, quaeſo, magis e re pontificia erat, quam reticere consuetudinem et derogare Concordatis? Tacitam ergo Nicolaus reliquit consuetudinem. Et quid inde? Eamne Concordatis, quemadmodum OLIGENIVS conciit, extirpatam esse, an, a Nicolao, quia incassum excitaretur, consulto omissam? Ac si secus sensit, quis est, quem, nec SENKENBERG iam monente,^{c)} lateat perpetuus Curiae Romanae mos, adscribe.

b) Scriptit OLIGENIVS in Differt. de primariis precibus imperialibus §. XLI: Paxuit — quoꝝ quantaqueſe furerint excepciones a Germanis oppoſitac precibus a Friderico directis vigore indulti Poniſſici, quas, ut amputaret, non adduxit Imperator consuetudinem, ſed Papae iterum ſupplicauit pro nouo indulto, quo Concordatis Germaniae derogaretur. Apparet, OLIGENIVM de consuetudine antiqua, quam Imperator aduerſus excepciones collatorum adducere neglexerit, locurum eſſe. Male igitur mentem eius intellexit L. B. DE SENKENBERG, cum in Tractat. de iure primarum precum Part. II. §. XLIV. eum ita refutare coepit; Non vero in ſupplicibus litter-

ris Friderici (ad Nicolaum V.) ad consuetudinem Anteceſſorum prouocatum eſſe, nefio, unde hic auctor baueſit, cum ego contra vel ideo patem, quia preces pro declaratione, Romae, vbi diligenter omnia obſeruata, haud dubie extantes, non addidit. Vt autem OLIGENIVS non de literis ſupplicibus, quibus Fridericus a Nicolao V. explicationem primi Indulti ſibi expetiuit, diſſeruit, ita temere, nullo quippe argumento in medium prolatato, ſtauit, Fridericum exceptionibus collatorum haud oppoſuisse consuetudinem antiquam,

c) In Tractat. antea commemorato, §. XLIV.

scribere gratiae suae, quae consuetudini tribuit alter? Concordatis etiam Nicolaus derogauit. Et quid hoc? Restituitne Pontifex ius precum primariarum, quod Concordatis conficiendis exspirasse OLIGENIUS et BRANDIUS opinantur? Neutquam. Hostem enim profligasset, quem sua sibi sponte fingebat, et impedimentum sustulisset, quod precibus Imperatoris non obstabat. An derogando, prouti GRIENERVS,^{d)} LYNKERV^{e)} et AYRERV^{f)} arbitrantur, declarare voluit, precibus primariis Concordata non obesse? Minime. Nam collatoribus ordinariis hac de re non dubitantibus, cui bono declaratio, qua illi non egebant? An ergo viribus priuauit Concordata, quatenus Indulto precibusque eo exstructis collatorum opinione contradicebant? Ita sane. Aegro enim animo tulerant Indultum, quo Pontificem in iniuriam Concordatorum de beneficiis, ordinariae collationi reseruatis, disposuisse rebantur, non vero ius precum, quod Imperatori non denegauerant. Accedit, quod Nicolaus V. in primo Indulto de Concordatis eorumque cum precibus primariis discordia tam alte siluit, vt vel inde suspicari liceat, Curiam Romanam tum temporis nec ipsam de integritate iuris precum imperialium dubitasse, neque ideo Concordatis derogasse. Quid? Tacuit quoque eadem de re Innocentius VIII. tum, cum Capitulis et Collegiis germanicis interdicebat, ne precibus primariis, quas Maximilianus I., Friderici filius et Rex Romanorum, absque Indulto papali dederat, obtemperarent. At quamnam tamen rationem interdictionis in vulgus proponeo consultius erat, quam dissidium Concordatorum et precum primariarum, si quod unquam intercesserat? Nonne igitur Innocentius in Literis^{g)}, ad Archiepiscopum Moguntinum datis, vbi causam

K 3

prohi-

d) In *Dissertat. de primariis precibus imperialibus sine Pontificis Indultru validis.* §. XVII.

e) In *Vindictis primariarum precum.* N. 7. et 8. p. 18.₄

f) In *Commentat. Ius primariarum precum.* Cap. II. §. I. p. 61. seq.

g) Exstat *Prohibitorium Breue admissionis precum regalium de anno 1486.* apud WÜRTDTWEIN. *Nouo-*
1743

prohibitionis non à Concordatis, verum ab indole Laici ad conserenda spiritualia inhabilis repetebat, tacite quidem, sed luculenter tamen confessus est, Concordata salvo precum primiarum jure confecta esse? Imo vero rei huius veritas constabit, si vel maxime ullus aliquis Pontificum, Friderico imperante, contrariam opinionem vila vnguam ratione enuntiauerit. Quis enim fidem habebit sensui Concordatorum et derogationis a Pontificibus illis significato, quos notum est Concordata pro commido suo semper interpretatos, pro arbitrio transgressos et talem transactionem professos esse, qua Romani Episcopi nonnisi lubentes tenerentur^{h)}? Ac quid de patientia dicendum, qua Fridericus III. Nicolaum V. et Calixtum III. tulit, multa ac varia beneficia ecclesiastica in Indultis a precibus primariis eximenter? Colligit inde OLIGENIUS, ius precum primariarum aut ante Concordata quoad beneficia illa vsu caruisse, aut transactione ista periisse. Sed si Imperatores, Concordatis nondum initis, a precibus suis circa beneficia illa sese abstinuerant, non erat, cur Fridericus Nicolao V. et Calixto III., eadem beneficia a precum iure in Indulso eximentibus, succenseret. Si vero ante transactionem Imperatores ad haec quoque preces dare consueuerant, numne Fridericus, cum a Nicolao et Calixto ea eximi patiebatur, tacite declarabat, ius precum imperialium a die transactionis inde desisse? An non et is bene ac multo adeo melius causam aestimabit, qui patientiam

rum Subsidiorum diplomaticorum. Tom. IV. N. XXXVI. p. 98.

h) Interpretationis et transgressio-
nis arbitriae documenta Lector su-
pra sibi obvia habuit. Professionis
vero temerariae indicium dedit Calix-
tus III. in Literis ad Fridericum III.
de vinculo Concordatorum ita scri-
bens: *Quanvis liberima sit Apostoli-
cae sedis auroritas nullisque debebat pa-*

*titionum vinculis coerceri, ex mera tamen
liberalitate nostra, ex zelo, quem gerimus ad pacem, ex charitate, qua te tu-
amque nationem persequimur, Concordatii ipsi locum esse voluimus, nec pa-
riemur, ea tenere violari; dum Romanac
sedis gubernacula retinebimus, apud
AENEAM SYLVIUM Operum ex
Edit, Basileens. de anno 1571. Epist.
CCCLXXI. p. 840. seq.*

tiam Imperatoris insigni erga Episcopos Romanos reuerentiae et studio pacis, quam virtuti Concordatorum penitus incognitae et precibus primariis nonnisi ex OLIGENII coniectura exitiosae adscribere malit? Lubrica igitur et vtique nulla sunt indicia opinionis Friderici III., ad quae refugere OLIGENIO BRANDIOQUE placuit. Ope- rae contra si pretium esset indicis certare, facile foret indagare alia, unde contrariam aetatis Fridericianae opinionem deduceret. Notatu saltē in hanc rem dignae sunt preces primariae, quas coniux Friderici III. Eleonora et Rex Romanorum Maximilianus I., eiusdem Imperatoris filius, absque Indulto papali direxeruntⁱ⁾. Memorabiles etiam sunt dubitationes nonnullorum coaetaneorum, lice- retne Maximiliano qua Regi Romanorum, viuente adhuc Friderico Imperatore, preces primarias dare^{k)}. Etenim si ius precum caesa- rearum Concordatis vere ac ideo quidem extinctum est, quia liber- tati collationum restituta inimicum esse videbatur, quis, quae- so, coaetaneorum negare sustinebat, cum iure Imperatoris ex pari ratione simul ius Imperatricis Regisque Romanorum exspirasse? Qui igitur factum est, vt Eleonora et Maximilianus, quos hancē Concorda- torum potestatem, si non sponte, ex amicis tamen noscere oportebat, preces primarias sine Indulto concedere auderent? Aut unde euenit, vt Nonnulli dubii essent de licentia precum, quas Rex Ro- manorum, patre nondum defuncto, ad Ecclesias direxerat? Num ideo incerti animi erant, quia ius precum primariarum per Concor- data

i) Literae precum Eleonorae de anno 1459., 1463. et 1464. exstant apud SENKENRERG. in Tractat. de iure primariorum precum. Codic. Probat. Adiunct. XLI. XLII. et XLIII. Literae vero precum Maximiliani I. de anno 1486. exhibentur a WÜRT- WEINIO Subsid. Diplomat. Tom. II. N. XVIII. p. 75. seqq.

k) Commemorantur haec dubitatio- nes in Innocentii Bulla precum rega- lium confirmatoria de anno 1489, et in eiusdem Pontificis Indulto interpre- ratorio de anno 1497. apud WÜRT- WEIN. Nouorum Subsidiorum Diplo- maticorum Tom. IV. N. XXXVII. p. 101. et Subsidior. Diplomatic. Tom. II. N. XXII. p. 95.

data deletum fuerat? At iure hoc abolito, nec Regi Romanorum nec Imperatori precum dandarum potestas erat. Aut igitur dubitationes stolidae ac inanes mouebantur, aut, qui dubitabant, taciti profitebantur, ius precum primariarum suo adhuc aeuo ex confuetudine antiqua obtinere dignitatique adhaerere.

Cum itaque nec ex rebus Ecclesiae Germanicae ante Concordata gestis, nec ex indole vel argumento Concordatorum, nec ex opinione Friderici III. et Collatorum post ea sequatur, in iisdem simul de precibus imperialibus transactum aut adeo iuri caesareo derogatum esse; haud iniqui statuemus, quemlibet virorum, qui ipsam precum dandarum facultatem Friderico III. a Pontificibus in Indultis collatam esse censuerunt, eatenus errasse, quatenus Concordatorum potestate sententiae suae columen esse voluerunt.

§. XXIV.

c) quia ex ipsis Indultorum verbis pateat, Fridericum post Concordata a Pontificibus ius precum primariarum petuisse et impetrasse.

Sed praeter columnas illud sententiae istius auctoribus alia etiam praeflo sunt fulcra, ad quae illam commode adnoti credunt. Appellat quippe, id quod tertium est argumentum, SCHMALZGRÜBERVS¹⁾ ipsa Indultorum verba in primis emergentia: *De nostra mera liberalitate, et, de Apostolice potestatis plenitudine indulgemus.* Quibus cum gratiam papalem indicari putet, neque vero sibi persuadere queat, Fridericum eiusque successores talium verborum usurpationem tolerasse, nisi ius precum suarum ex Privilio Pontificis proficisci existimassen; nullus dubitat, quin Fridericus precum concedendarum potestatem Pontificum Indultis retulerit acceptam. Sed Pontifices Romanos plerumque,

1) In *Iure canonico*, Tit. de Praeberdis et Dignitatibus §. VIII, p. 327.

rumque id, quod alterius erat, vel eidem vel extraneo gratificatos esse, quisque docetur, qui in causas gratiae papalis attente inquirit, et iura in rebus, quas gratia affecit, cum industria explorat. Indulserunt Sixtus IV. et Pius IV. liberam Decani, Praepositi et Scholastici electionem Capitulis Ecclesiae Spirensis et Moguntinae, quibus ea Concordatorum virtute iam competebat^{m)}. Concesserunt vero etiam Eugenius IV. et Sixtus IV. Theodorico, Archiepiscopo Moguntino, et Friderico III. nominationes ad beneficia, quorum collatio non penes Pontifices, sed penes collatores ordinarios eratⁿ⁾. Proinde principium, quo iudicia de gratiis papalibus rite regantur, vniuersale ponetur: Liberalitas Pontificum suspecta. Hoc autem cuique Literarum gratiae papalis interpreti suadet ac legem adeo dicit, ut non verba liberalitatem et indulgere mentem anctioris, sed ius spelet, quo gratiam Pontifex contulit. Ordinem igitur, consulto, necio, an ex legis illius ignorantia, SCHMALZGRÜBERVS inuertit, cum a verbis Pontificum: *de nostra mera liberalitate indulgemus*, ad facultatem precum dirigendarum, Friderico a Pontificibus gratiolose concessam, non vero, ut debuit, a iure, quo illi se gratiosos exhibuerunt, ad liberalitatem argumentatur. Imperatorum enim pristinorum Literis Decretoque Concilii Basileensis et ipsis Concordatis Nationis Germanicae inspeclis, probe eum scire opportuit, Pontifices beneficia manu in Fridericum ius contulisse, quod eidem ex antiqua consuetudine iam erat acquisitum. Aut itaque Pontificum erga Fridericum liberalitas, quam SCHMALZGRÜBERVS celebrat, plane otiosa et illiberalis fuit, aut verba liberalitatis de auxilio capienda erunt, quod Friderico in precibus exequendis sese praeslituros esse Pontifices spoponderunt. Nec prosector SCHMALZGRÜBERVS ea aliter intellexisset, si modo Indulta Nicolai V. absque opinione praeconcepta ponde-

m) Vid. supra § XX et ibi not. u) et y).

n) Vid. supra §. XXII. et ibi not o) et p).

ponderasset et cum Indulto Calixti III. sedulo comparasset. Absunt enim verba de nostra mera liberalitate ab utroque Indulto Nicolai V. Quinimo Pontifex iste primum Indultum eo dedit consilio, ut Imperator opere auctoritatis Apostolicae in exhibitione gratiarum bene meritis se munificum reddere posset.^{o)} Et quae ibidem expresserat, ea ne preceum primiarum eventum impeditent, ex sua mera deliberatione in Indulto secundo prouidit.^{p)} Mutavit dicendi genus Calixtus III. Nam ex sua mera liberalitate, quam in locum deliberationis substituisse videtur, Friderico indulst, quicquid auxilii gratia Nicolaus concesserat.^{q)} Est igitur necesse, ut verba Calixti ex verbis Nicolai interpretetur, nisi forte utrumque Pontificem sibi inuicem contradixisse Calixtumque plus, quam Nicolaus concesserat, vel indulsius vel indulgere potuisse velimus. Quod cum dici nequeat, liberalitas papalis ultra operam Friderico a Nicolao et Calixto promissam haud erit extenda. Atque id ipsum valet de Apostolicae potestatis plenitudine, quae tamen verba neuter Pontificum in Indultis usurpauit. Sunt enim tanti ac tam varii ambitus, ut modo latius, modo angustius accipiatur, prout causa, ad quam adplicantur, significatum vel ampliorem vel strictiorem admittit. Itaque si vel maxime in Nicolai et Calixti Indultis Plenitudinis Apostolicae potestatis mentio iniecta esset, foret tamen potestas iuri, quo Indulta Friderico dari fas erat, accommodanda, hoc est, ad solum auxilium papale restringenda.

§. XXV.

d) quia ius precum primiarum potestatem in ea, quae spiritualia sunt, a Laicis prorsus alienam complectatur.

Qui primae sententiae adhaerent, hi, praeter tria argumenta hanc tenus disceptata, quartum etiam proponunt. Scilicet BENEDI-

CTVS

o) Conferatur Indultum primum supra §. XX. not. b).

p) Videatur Indultum secundum supra §. XX. not. c).

q) Calixti Indultum inspicere licet supra §. XXI. not. e).

CTVS XIV. post Innocentium VIII.^{r)} ex HOFFMANNO, DUFRES-
NIO et ERMESIO docet^{s)}, primarias preces non meras esse com-
mendationes, sed mandata et praecepta, quorum vi Preciis de
beneficiis ecclesiasticis sit prouidendum. Beneficium ecclesiasti-
cum autem, cum non sola redditum perceptione, verum simul
iure administrandi Sacraenta, praedicandi, in templo cantandi et
alia officia sacra peragendi consistat, inter ea referri, quae indolis sunt
spiritualis. Idcirco ius conferendi beneficia ecclesiastica ipsum quo-
que esse ius spirituale, quocum ius precum primariarum habeat virtu-
tes communes. Atqui vero pro Canonum sanctione et Disciplina Ec-
clesiae personam laicam, licet regia vel imperali maiestate ornatam,
nec esse nec esse posse iuris spiritualis capacem, nisi id e fonte eccl-
esiasticae auctoritatis hauserit. Proinde nec Imperatoribus Germanorum
ius precum primariarum acquiri, nisi ex Indulto papali. Ac frustra
eius in locum substitui consuetudinem, quippe quae, etiam si homi-
num memoriam excedat, tamen iuris ecclesiastici possidendi faculta-
tem Principibus laicis hanc adsciscat, sed a Canonibus potius dama-
tur et corruptela dicatur.

Impugnarunt hoc Innocentii VIII. et Benedicti XIV. argumentum
LYNKERVS^{t)}, AYRERVS^{v)} et L. B. DE SENKENBERG^{x)}, neque, vt
L 2
videtur,

r) Innocentium VIII. precibus pri-
maris, quas Maximilianus I. Rex
Romanorum, absque Indulso papali
direxerat, ideo aduersatum esse, quia
ille ob laicam conditionem ad con-
ferenda Spiritualia inhabilis fuerit,
§. XXII. paucis iam est relatrum.

s) In Literis instructiis ad Archie-
piscopum Laodicensem, Nunium Apo-
stolicum Coloniae. Rom. die 28. Octob.
1747. n. 7-, apud SENKENBERG.

Traçtat. de iure primarum precum.
Cod. Probat. Adiunct. LXXVIII.

t) In Vindiciis primarum precum. II.
I. p. 10. seqq.

v) In Dissertat. de iure primariarum
precum cæsareo in Foundationibus Im-
peri mediatis. §. VII. p. 23. seqq.

x) In Traçtat. de iure primarum
precum. Part. I, §. III.

videtur, Marte incerto. Noscitur videlicet ex Historia ecclesiastica, per decem Secula priora in officiis et beneficiis Ecclesiarum necquam fuisse tam sublimi atque arcanum, ut eorum collatio non aequa Laicis ac Clericis pateret. Nulla religio, nullus angor incessebat animos Episcoporum et Abbatum, quos Imperatores Regesque Germaniae inuestiuerant. Et digni habebantur Patroni laici, qui Presbyteros, ab Episcopis antea examine tentatos, insituerent. Sed repente inuestitura Episcoporum et Abbatum laica irritabat conscientiam Pontificis, cuius erat, simulare sanctitatem, quo innidiam minus religiosam velaret. Subito etiam per laicas Presbyterorum institutiones offendebantur Episcopi, qui officia Presbyterorum aliena simul auctoritate dispensari vehementer indignabantur. Qua de causa Gregorius VII. Romae ^{y)}, Victor III. Beneuenti ^{z)}, Urbanus II. Melphiae Apolorum, ad Clarum Montem et Romae ^{a)}, Paschalis II. Pictialis ^{b)} et Innocentius II. Romae ^{c)} Synodis habitis decernebant, vt nullus Clerico-

rum

^{y)} Videri possunt BARONII *Annales Ecclesiastici* Tom. XI. ad annum 1078. et 1080 p. 684 lit. A. et p. 701. lit. C. et D; porro *Chronicon Viridunense* Hugonis Abbatis Flaviniaci apud LABBEVM *Nouae Bibliothecae Manuscriptorum Librorum* Tom. I. p. 207, nec non eiusdem LABBEI *Conciliorum* Tom. X. p. 381; vt et HARDVINI *Concordia Tom. VI.* Part. I. N. I. II. p. 1587; denique c. 13. C. XVI. q. 7. et c. 12. C. XVI. q. 7.

^{z)} Inspiciantur HARDVINI *Concordia Tom. VI.* Part. II. p. 1627.

^{a)} Conferantur BARONII *Annales Ecclesiastici* Tom. XI. ad annum 1090. p. 806 lit. D. et ad annum 1095. p. 861. lit. B. item WILIELMVS MALMESBURIENSIS *de Gestis Regum Anglorum* in vita Willielmi II.

Lib. IV. c. 2. apud HENRIC. SAVILE *Rerum Anglic. Scriptor.* p. 130. et ROGERI DE HOVEDEN *Annal.* Part. Prior. in vita Willielmi Iun. apud HENRIC. SAVILE *Rer. Anglic. Scriptor.* p. 467; atque HARDVINI *Concordia Tom. VI.* Part. II. p. 1686. 1735. 1760. Canon. XVI. et XVII. et p. 1645. Urbani II. Epistola XV.

^{b)} Euoluantur BARONII *Annales Ecclesiastici*. Tom. XII. ad annum 1100 p. 12. lit. C. et D. et HARDVINI *Concordia Tom. VI.* Part. II. p. 1829.

^{c)} Adeantur BARONII *Annales Ecclesiastici* Tom. XIII p. 349; et HARDVINI *Concordia Tom. VI.* Part. II. p. 1212. Canon. XXV.

rum a Laicis, utpote qui, cuiuscunque essent conditionis et pietatis, de facultatibus ecclesiasticis disponere nequirent, ullam dignitatem ullum officium aut beneficium ecclesiasticum acciperet. Haec Decreta Pontifices, qui Innocentium II. subsequebantur, sete urgentes praedicabant, officia et beneficia ecclesiastica Spirituale quid esse, cuius nec possidendi nec conferendi Laicus capax esset. Silentio ius precum primariarum Curia Romana transibat, donec Innocentius VIII. et post eum Benedictus XIV. Decreta illa ad preces imperiales applicaret, easque in ius spirituale a Laico alienum transferret. Enimvero si quis huius doctrinae sensus erat, vox Spirituale, necesse est, significaret id, quod Sacrum et Coeleste vocatur, cuique Profanum et Temporale opponitur. Ius igitur precum primariarum, cum dicebatur Spirituale, procul dubio Sacrum et Coeleste quid intelligebatur. Iam talis eius ratio esse perhibebatur, vel quia beneficia ecclesiastica ad quae preces primariae spectabant, spiritualia ideoque res sacrae et coelestes erant, vel quia preces ipsae, quatenus in se considerabantur, sive, quod idem est, nominatio et praesentatio Precistae caelareae sacrae et coelestis conditionis esse credebantur. Sed nominare et praesentare Precistas ad beneficia ecclesiastica non erat, conferre beneficia, verum, determinare personas, quibus quis ea conferret. Commendabant olim Imperatores collatoribus eos, quibus fauebant; et tempore aliquo post rogantes subinde imperabant, ut collatores Precistis nominatis de beneficio prouiderent. Commendare, quod minoris erat, nemo vnuquam ausus est in censu rerum spiritualium referre. Preces itaque primariae origine sua nec Sacrum quid erant nec Coeleste. Rogando imperare maioris quidem erat, siquidem precum euentus non amplius a mero illorum arbitrio pendebat, ad quos dirigebantur. Sed eadem tamen preces, licet vim imperandi sibi adjunclam haberent, intra fines nominationis et praesentationis consistebant, ac simul Disciplinae ecclesiasticae moderamen subibant, quandoquidem collatorum erat, recusare Precistas, quos minus idoneos

neos esse compererant. Quemadmodum igitur ius Patronatus, quod et ipsum potestate nominandi et praesentandi constabat et collatores aequi, ac mandata precum imperialium, devinciebat, rerum spiritualium indice excidebat, ita etiam ius precum primariarum Spiritualibus accenseri nequibat. Atqui iuris Patronatus quisque Laicus per omne tempus ita capax fuit, ut nullo unquam opus esset Indulto papali, quo ad Laicum transferretur. Fuit ergo quilibet, etiam Imperator, et si Laicus erat, precum primariarum capax. Neque Fridericus III. Pontificis egebat Indulto ad consequendam facultatem, quae pro disciplina vniuersae Ecclesiae in quemuis Laicum iam cadebat. Ac prout ius Patronatus praescribendo a Laicis legitime acquirebatur, ita etiam ius precum primariarum per antiquam consuetudinem, praescriptioni equiparandam, Imperatoribus, consentiente lege ecclesiastica, comparabatur. Quapropter parum sibi constabat Benedictus XIV., cum, Decretorum ecclesiasticorum probe conscientius, Clero et populo Ecclesiae Germanicae persuadebat, corruptelae nomine a Canonibus damnatam esse consuetudinem, ex qua Imperatores Laici ius precum primariarum sibi asciuerint. Num vero preces primariae ob beneficia saltē, ad quae dirigebantur, Spirituale quid fuerint, ea de re ut quaeratur, haud erit necesse. Quamquam enim Ludouico Baro imperante MARSILIVS PATAVINVS^{d)} iam docuit, falsam esse doctri-

d) Gratui forte fuerit lectori, cognoscere, quid MARSILIVS PATAVINVS de spirituali beneficiorum ecclesiasticorum indeole et collatione senserit. Scriptis circa annum 1324. ad Imperatorem Ludouicum Bauatum aduerlus usurpatam Romani Pontificis jurisdictionem de re Imperatoria et Pontifica Librum, qui Defensor Pacis inscribitur et anno 1522. in lucem prodit. Ibi Dictione II. Cap. II. p.

86: Omnia, inquit, nouissime inconvenienter et improprie valde quidem extendunt hoc nomen (scilicet Spirituale) ad significandum Presbyterorum, seu Episcoporum, Diaconorum et aliorum templi ministrorum actiones voluntarias transentes et earum omisiones. — Extendunt rursus et magis improprie idem nomen (Spirituale) ad borum possessiones et temporalia bona, mobilia et immobilia, et ad temporalium prouen-

doctrinam Pontificum, qui beneficia et officia ecclesiastica tanquam res spirituales a Clericis tantum distribui et conferri posse affererent; tamen litis huius consortio renunciare eo magis licebit, quominus eam ad preces imperiales facere appareat, quae sola nominatione et praesentatione, non vero ipsa beneficiorum et officiorum ecclesiasticorum collatione absoluuntur. Siue igitur notio beneficiorum ecclesiasticorum ad solam reddituum perceptionem restringatur, siue ad ius fungendi sacris officiis extendatur, ratum omnino tenebimus, Fridericum III. nullo eatenus eguisse Indulto, quatenus laica ipsius conditio obsetet, quominus precum dandarum capax euaderet. Quodsi vero nihilominus cum Innocentio VIII. et Benedicto XIV. contra rationes Disciplinae ecclesiasticae consentire aliquis amauerit, is, rogo, sibi caueat, ne, quod fieri nequiuuit, effectum esse velit. Laici enim in possessionem eius, quod Spirituale erat, cuiusque Clerici duntaxat capaces esse statuebantur, mitti haud aliter poterant, quam si indeoles eorum laica ipso missionis momento cum indeole clericali comunitaretur. Frustra igitur Nicolaus V. et Calixtus III. Friderico ius precum primariarum spirituale conferebant, nisi ei simul notam clericalem imprimerent formam-

zus quosdam, quos vocant decimas, ut
buius prætextu vocabuli a norma legum
et principianum ciuilium aestimetur.
Sed profecto ipsis valim abutuntur vo-
cabulo in his contra veritatem et Apo-
stoli arque Sanctorum intentionem ex-
vsum, qui talia non spiritualia, sed
carnalia seu temporalia vocauerunt. Et
Dictione II. Cap. XXVII. p. 338: Et
quod singulariter concludere volunt, ad
Romanum Episcopum solum, aut cum
suo Clericorum collegio, pertinere au-
toritatem instituendi personas ad eccl-
esiastica officia, et pro illis temporalia
sue beneficia (ecclesiastica) conferendi;
dicendum, quod, si per officia ecclesiastica

intelligantur Sacri Ordines et characteres, qui cum his imprimuntur in anima velut habitus quidam, haec, inquam, officia per solos Episcopos sive pastores posse conferri. — Si vero per officia ecclesiastica intelligantur determinatio-
nes seu institutiones presbyterorum et
aliorum — officialium ad curas anima-
rum, maiores aut minores, in certis lo-
cis et ad certos populos gubernandos,
talia instituere officia, sive personarum ad haec determinationes facere, et pro
bis ecclesiastica temporalia distribuere
seu conferre, ad fidelem legislatorem
perixer.

formamque laicam exuerent. Quod cum neuter eorum fecerit, neuer Indulto suo Imperatorem in possessionem iuris precum primariatum vel misit vel mittere fuisse.

§. XXVI.

e) quia Imperator Clericos precum primariarum executores absque auctoritate Apostolica constituere nequiverit, et f) quia Pontifex lites super precibus excitatas diremerit.

Ad quintum denique et sextum argumentum primae sententiae autores et sectatores descendunt. Etenim ante Pacem Westphalicam Imperatores ius precum primariarum praeter consuetudinem simul Indulgi et beneficio papali, ideoque Fridericum III. idem ius Nicolao V. et Calixto III. debuisse, BRANDIVS^{e)} ex eo concludit, quod nullus Imperatorum absque concessione pontificia executores ecclesiasticos constitui valuerit, per quos ii, ad quos preces datae essent, Censuris etiam ecclesiasticis ad obsequium compellerentur. Negat veio AYRERVS^{f)}, huic rationi ponderis aliquid inesse. Ac non temere. Nam ante Fridericum III. Imperatores collatoribus, ad quos preces dirigebant vel iam direxerant, iacturam priuilegiorum bonorumque a se et antecessoribus acceptorum minabantur, ne preces forte ob inobedientiam irritae caderent. Minae autem ut ne vacuum metum incuterent, neue ius caesareum in contemnum veniret, Imperatores precum suarum executionem Vasallis et Ordinibus Imperii committebant. Quisquis eorum mandato imperiali, quantum poterat

e) In Dissertat. de iure caesareo pri- f) In Dissertat. de iure primariar.
mariar. precum. Cap. IV. §. XII. p. precum caesareo. §. X. p. 31.
183.

rat satisfacere tenebatur, Laicus pro potestate ciuili, Ecclesiasticus pro potestate ciuili et ecclesiastica, qua praeterea pollebat. Vasallos autem et Ordines Imperii Ecclesiasticos a Friderico III. et antecessoribus iurium caesareorum executores constitui potuisse, quis, quaeſo, iuriis Germaniae publici peritus instituabitur? Cum igitur Ecclesiasticos, quos Imperator precum executores deputabat, omni, qua aucti erant, potestate vel adeo Censura ecclesiastica, quam Patres Concilii Basileensis iam decreuerant ^{g)}, adhibita, fungi officio eporteret; Friderico in hanc rem quid opus Indulto?

At diremit Pontifex lites super precibus motas. Fuit ergo modo Nicolaus V. modo Calixtus III. Friderico precum primariarum auctor. Sic censet Benedictus XIV. ^{h)}; ita statuit SCHMALZGRÜBERVS ⁱ⁾. Ait enim BENEDICTVS, controuersias de precibus primariis inter Imperatores eorumque Precistas et collatores ordinarios passim exortas ita dirimi solere, ut non formulae precum, sed Indulta papalia legem iudicii faciant. Atque hinc colligit, quod ipsa illa Indulta limites precum primariarum ponant. SCHMALZGRÜBERVS vero huiusmodi lites in Curia Romana discuti, idque indicio esse dicit, quod preces a beneficio Apostolicae Sedis originem trahant. Iam causam inter Precistas et collatores ante Fridericum III. in Curia Romana interdum disceptatam esse, libenter quidem concesserim. Nolo enim diffidere DVRANDO libellum Precistas in Curia Romana conceptum referentem ^{k)}.

Neque

g) Videatur Decretum Concilii Basileensis Specim. II. §. XVII. p. 41.

h) In Literis Instructiuis ad Archiepiscopum Laodicensem Nunzium Apostolicum Coloniae. Rom. die 28. Octob. 1747. apud SENKENBERG. Tractat. de iure primarum precum, Codic. Probat. Adiuncta. LXXVIII.

i) In Iure canonico Tit. de Praebendis et Dignitatibus. §. VIII. n. 327.

k) De quo DVRANDI loco videatur Specim. I. §. VIII. et ibi not. a) et supra §. XXII. not. h).

M

Neque dubito, quin Precistae precum exequendarum causa nonnunquam auxilium Pontificis implorauerint, eumque sibi iudicem supremum elegerint. Sed qui hac ex ratione preces primarias beneficio papali tribuit eodemque Fridericum a Nicolao et Calixto ditatum prædicat, eum plus iudico concludere, quam pro logica lege concludere licet. Sub Friderico III. porro num, Indultis iani impetratis, Curia Romana lites inter Precistas et collatores ordinarios composuerit, equidem nescio. At fidem tamen facile cuicunque habebo, qui, ita semel iterumque accidisse, vlla quadam auctoritate testatur. Nam, Pontificum ope Friderico sub conditionibus indulta, mirum sane fuisset, ni modo collatores modo Precistae ad arbitrium papale prouocassent. Sed qui mox argumentatur: „Causam Precista collatorue ad Pontificem aliquando detulit; ergo Nicolaus aut Calixtus Friderico ius precum primariarum concessit,” ei, audacter dico, stat pro ratione voluntas. Lites denique, quas post Indulta preces Imperatoris primariae progenuerunt, ad formulam Indultorum, non precum direntas esse, itidem credo. Conditiones enim, quas Pontifices, Friderico consentiente, opis promissioni adiecerant limitesque precum imperialium posuerant, cum causam litibus darent, regulam quoque faciebant, ad quam decisio dirigeretur. Ergone vero precum potestas Friderico ex Nicolai aut Calixti Indulso, non ex antiqua consuetudine cessit? Quodsi autem neque hoc, neque priora argumenta coniunctum, ipsam precum dandarum potestatem a Nicolao V. et Calixto III. in Fridericum III. indulgendo collatam esse; rata haud est opinio BRANDII¹⁾ et MOSERI^{m)} ius precum imperialium a consuetudine et Indulso papali repetentium.

§. XXVII.

1) In Dissertat. de iure caesareo
primariar. precum. Cap. IV. §. XII. p.
183.

m) Teutsches Staatsrecht. Part. III. 156,

Lib. II. Cap. XXXI. §. 69. et 70. nec
non Tractat. von der Landeshoheit im
Geiflichen. Lib. II. Cap. V. §. 8. P.

§. XXVII.

B) in executione precum primariarum sublevanda certitudo.

Cum igitur Friderico III. nec a Nicolao nec a Calixto ipsa pre-cum dirigendarum potestas concederetur, vis Indulctorum aut nulla emergebat, aut ea, ad quam instructa erant, in leuamen precum imperialium exequendarum vergebat. Hoc video esse fundamentum secundae de vi Indulctorum papalium sententiae, quam adoptarunt FRITSCHIUSⁿ), DE STOEKKEN^o), MULDENERVS^r), MAYERVS^s), GRIBNERVS^t), BOEHMERVS^u), AYRERVS^v) et L. B. DE SENKENBERG^w). Certum quippe est, ius precum imperialium sub tempora Friderici III. a collatoribus non simpliciter in dubium vocatum esse. Sed constat etiam, nunquam defuisse, qui vel sponte sua vel metu Pontificum precibus caesareis aduersarentur. Saluae Concordatis in eundis relinquebantur preces, adeo, ut beneficia, quorum collatio alternis partim mensibus, partim ex causa reseruationis Pontifici cesserat, porro afficerent, in quantum, pacto illo nondum conuento, eadem afficerant. At verendum erat, ne, si Precistae cum iis, quibus

M 2

Ponti-

n) In Exercitat. de imperiali primariarum precum iure. Cap. II. n. 36. imperialibus sine Pontificis Indulitu validis. §. 19. et 20. seqq.

o) In Commentat. de precibus primariis Imperatoris. Quaest. III. §. XXI.

s) In Iure ecclesiastico Protestant. Lib. III. Tit. V. §. CXII. Tom. II. p. 358.

p) In Positionibus inauguralib. Posit. IV. Ius primariarum precum. §. 7.

t) In Commentat. Ius primariarum precum. Cap. I §. XXII p. 46 — 48; et in Dissert. de iure primariarum precum Caesareo in Foundationibus Imperii mediatis. §. IX.

q) In Tractat. de iure primariarum precum. Thes. XLVI.

r) In Dissert. de primariis precibus

v) In Tractat. de iure primarum precum. Part. II. §. XLIII. et XLIV.

Pontifex prouidisset, ad talia beneficia concurrerent; precum imperialis executio contra Pontificem difficilis ac plane otiosa foret, Censuraeque imperialium executorum Censura papali irritae redderentur. Erat autem Fridericus III. huiusce generis controuersis impar, cum, quia animo a litibus alieno ducebatur, tum, quia Pontificem summa cum reverentia prosequebatur. Ut itaque Imperator, amicitia Curiae Romanae sibi conciliata, precum primariarum, quibus tenax adhaerbat, exercitium tranquillum atque pacificum haberet, opem a Nicolao V. sibi stipulabatur. Spondebat Pontifex auxilium suum, at ita tamen, ut a conditionibus suspenderet, quibus preces primariae qua formam aequa ac beneficia, ad quae dirigi solebant, limitarentur. Copia namque precum caesarearum ordinandarum oblati Pontifex cum fiducia eo maiore abutebatur, quominus timiditati et facilitati Imperatoris difidebat. Sponsionem Indulto papali sibi factam Fridericus acceptabat, conditionesque, licet noxias, patienter ferebat. Prima vero ac propria Indulti vis per limitationes, quas Fridericus ipse quidem iure damnoque suo, sed salua tamen successorum libertate tolerabat, nec mutabatur nec extinguebatur; quin potius, quotcunque adiectae essent conditiones, ad solam precum primariarum a contumacia collatorum et impedimentis Curiae Romanae tutelam redibat. Comprobant eam verba Indulti: ut Imperator ope auctoritatis Apostolicae in exhibitione gratiarum benemeritis se munificum reddere queat. Conueniebat etiam mos vetustus. Scire enim licet, non noui aut inusitati quid Imperatorem atque Pontificem ope petenda et promittenda egisse. Etenim diu ante Fridericum iam euenerat, ut Pontifices Romani modo Laicis quosdam ecclesiastica dignitate augendos commendarent, modo Principes et Civitates in tutelam precum primariarum suarum euocarent, modo denique Principum preces primarias adiuuarent. Regem Francogalorum, Ludouicum VII., Alexander III. rogauit, ut Thomae, Archiepiscopo Cantuariensi exuli, Episcopatum aut Abbatiam conferret.

ret^a). Petuit Innocentius III. a Capitulo Eboracensi, vellet Magistrum Petrum de Corbolio, Pontificis olim praceptorum, mittere in possessionem praebendae et Archidiaconatus; ac, ea detrectata, Regem Anglorum Richardum implorauit, ut preces ad Capitulum datas regia potestate sustentaret^b). Neque cessauit Carolus IV. Imperator adhortari Capitulum Francofurthensis Ecclesiae St. Bartholomaei, ut Iohannem, cui Pontifex gratias expectatiuas concederat, inter Canonicos reciperet ornaretque praebenda^c). Dedit rursus Innocentius III. literas precum, quarum virtute Praepositus et Canonici St. Antonini Placentini Clerico cuidam T. canonicatum conferrent. Qui cum et preces et Censuram executorum ecclesiasticam parui penderent, Pontifex nouam contumaciae poenam iis irrogauit ciuitatemque Placentiam sententiae executricem constituit^d). Contra vero idem Innocentius III. Capitulum Piuerense admonuit, ut Henrico Clerico ad precés, quas Ludouicus, Philippi Regis Francogallorum filius, direxerat, de praebenda prouideret^e). Et Imperatorum adeo Regumque Germaniae preces ope et auctoritate Pontificum promotas esse, Rudolphus Habsburgicus^f) et ex Sigismundo Patres Concilii Basileensis^g) clare

professi

^{a)} *Alexandri III. Epistolarum Appendic.* II. Epistola LXX. apud HAR-DVIN. *Concilior.* Tom. VI. Part. II. p. 1515.

^{b)} *Epistolarum Innocentii III. Lib. I. Epistol. CCCCLXXX. apud BALVZI-VM Tom. I. p. 276;* que cum Epistola ibidem conferri meretur Epistola CCCCLXXVIII. p. 275. et Epistola CCCCLXXIX. p. 276.

^{c)} Videantur Literae Caroli IV. ad Decanum et Capitulum Ecclesie St. Bartholomei Frankenfordensis apud WÜRTDWEIN. *Suhfid. Diplomatic.* Tom. II. N. VIII. p. 33.

^{a)} *Epistolarum Innocentii III. Lib. V. Epist. LXXII. apud BALVZIVM Tom. I. p. 660.*

^{b)} Apud BALVZIVM citat. loco. Tom. II. Lib. XV. Epist. XXIII. p. 608

^{c)} In Literis ad Episcopum quendam datis, de quibus Specim. I. §. IX. sermo iam fuit.

^{d)} In Decreto eiusdem Concilii faepius commemorato, vbi Patres sem ita retulerunt; *Sane pro parte* *enarr*

professi sunt. Quare cum satis abunde pateat, Imperatores, Reges atque Praesules Romanae Ecclesiae iam ante Fridericum III. sibi inuenient opitulatos esse; tutela precum primariatum, quam Nicolaus V et Calixtus III. Friderico in Indultis spoponderunt, a more saltem olim consueto minime abscessit.

Sed ab historia precum primariarum, quarum vicissitudines sub Maximiliano I. et eius successoribus nouo Specimine delineandas reseruo, sermonem vertere iubeo ad Clementiam beneficam, qua SERENISSIMVS ELECTOR Professionem iuris extraordinariam, cuius causa iam scribo, ante aliquod tempus in me contulit. Est enim pietatis, optare, vt SERENISSIMO PRINCIFI EIVSQUE DOMVI AVGVSTAE atque Illustrissimis Amicis in suam ac terrarum Saxoniarum salutem quaeque fausta contingant. Est animi grati, promittere, talem me fore, vt beneficentia, qua me condecoratum sentio, nunquam censear proorsus indignus. Est denique officii, auspicari munus Oratione in Auditorio Illustris Iureconsultorum Ordinis habenda. Ut igitur mihi, de Potestate ecclesiastica die constituto dcenti, beneuoli adesse velitis, TE, RECTOR ACADEMIAE MAGNIRICE, VOSQUE, COMITES ILLVSTRISSIMI, PROCRETES VTRIUSQUE REIPUBLICAE GRAVISSIMI, et COMMITITONES HUMANISSIMI, obsequiosus inuitio.

ruae celstitudinis nobis oblatae petitionis series continebat, quod — sedes Apostolica ex Roman. Pontifices, qui fuerunt pro tempore, ipsis Roman. Imperatoribus et Regibus pro ipsorum precum debita execuzione et implemento adfertere atque fauere consueuerint etc.

Errata grauiora:

- | | | | |
|---|--|--|----------------|
| p. 41. lin. 3. pro: Procurorem leg. Procuratorem. | p. 62. not. v) lin. 4. pro: XCIV. leg. CXIV. | p. 62. not. x) lin. 14. pro VII. leg. III. | p. 64. not. b) |
| lin. 21. col. 2 ^o pro CXIC. leg. LXIX. | lin. 21. col. 2 ^o pro CXVIII. leg. CCLVIII. | p. 67. not. h) lin. 24. pro | |
| | p. 77. not. t) lin. 6. post: Cap. II. §. inferendum V. | | |

ULB Halle
003 067 572

3



TA-OL

KD 18



1795.26.
S V P E R

IVRE PRIMARIARVM PRECVM

EIVSQVE EXERCITIO

SPECIMEN TERTIVM

Q V O

A D

AVDIENDAM ORATIONEM

Q V A M

PROFESSIONEM IVRIS EXTRAORDINARIAM

A V S P I C A T V R V S

D. XIV. OCTOBRIS A. MDCCXCV.

H. L. Q. C.

R E C I T A B I T

I N V I T A T

D. IOHANNES GODOFREDVS MVELLER

L I P S I A E,

E X O F F I C I N A K L A V B A R T H I A.

